FRAN. XAVERII ELIAE ... DE VITA VENERABILIS AUGUSTINI CARUSII DOCTORIS...

Francisco Xavier Elias



Fran.cus Boix delin. et sculp. Barcinone anno 1764.

FRAN. XAVERII
ELIÆ

SACRORUM CANONUM DOCTO-
ris, & Congregat. Oratorii
S. PHILIPPI NERII BARCIN. PRESBYT.

DE VITA

VENERABILIS
AUGUSTINI CARUSII
DOCTORIS THEOLOGI,
eidem Congregationi Barcinon. octavùm
Præpositi, & Congregationis Oratorii
Vicensis Institutoris.

LIBRI TRES.

AD ILLUSTRISSIMUM AC REVER.
ADMODUM DOMINUM
D. STEPHANUM VILANOVAm
EPISCOPUM TURIASSONENSEM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Barcinone. Apud CAROLUM SAPERAm, Typ.
an. M. DCC. LXV.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDO

ADMODUM DOMINO

D. STEPHANO DE VILANOVA,

Episcopo Turiassonensi, primùm Jaccensi, Regi Catholico à cónsiliis cet.

FRANCISCUS XAVERIUS ELIAS.

PERPETUAM IN CHRISTO FELICITATEM.

INTER eas artes quæ merito liberales adpellantur Historiam in primis excellere, omnium fere ætatum gentiumque sententia fuit, Vilanova Antistes clarissime. Quid enim Historiæ cognitione præstantius, in qua omnia profecto continentur quæ ad bene, beate, glorioseque vi-

vendum pertinent? & ex qua egregia clarorum virorum exempla unusquisque abunde potest haurire? Per Historiarum libros populi Romani, Atheniensis, Lacedæmonii, atque omnium gentium nationumque publicæ res privatæque noscuntur. Sine ipsis nullius gloria prædicaretur; non Cyros, non Alexandros, non Scipiones, non Fabios, Cæsares, Catones, Tulliosque posteritas decantaret. Sed hæc parva sunt & exilia si cùm iis quæ æternam propiùs felicitatem nostram adtingunt comparentur. Quid enim de rebus Hebræorum, deque signis & ostentis eorum caussa à Deo editis sciremus, nisi Divina Historia æternis monimentis ad posteri-

teri-

teritatis memoriam commendasset? At Novi Testamenti, Evangelicæque doctrinæ, quàm excellens sublimisque Historia, ubi Christus Dei filius, lexque eius sanctissima ante oculos nostros ponitur, sine qua belluarum more vitam in terris insuavem feramque viveremus! Ea porrò quam diligens servavit industria maximarum rerum à maximis viris Religionis caussa gestarum, ut digna, jucunda est, utilisque narratio! Nulla igitur pulcrior species, nulla gratior; nulla præstantior ars, nulla Historia salubrior, qua videlicet, quæ fugienda nobis sint, quæ expetenda nullo nostro periculo, nullo labore sedentes in otio docemur.

Hæc

Hæc omnia, Præsul Amplissime, eo consilio sunt à me dicta, ut significarem quo tandem animo, qua spe, imparato licet & ab eruditione, & ab ingenio, & à latini sermonis peritia, ad rerum nostrarum conscribendam Historiam accedendum mihi esset, ex qua dignitatem, fructum, voluptatem unâ consequi valerem. Scripsi itaque Augustini Carùsii, viri sanctissimi, domuique nostræ octavùm Præpositi vitam; immo & Congregationis huius Barcinonensis Historiam, non quidem universam, sed quod in ea maxime putatur excellere. Scripsi autem latina lingua, tum quod hæc non ita angustis finibus uti vernacula continetur, sed communis est om-

niumque quodammodo nationum; tum etiam quod ita fecisse videam Gallonios, Maffeos, Tursellinos, aliosque permultos

Nulla dies unquã memori quos eximet ævo.

Utinam mihi eorum persequenti vestigia, & otium esset, & ea suppeterent bonarum artium subsidia, quæ ipsis immortalem nominis famam pepererunt. At ego scribo plurimis adsiduisque distentus negotiis, & ab hoc scriptionis genere alienissimis. Sed hoc mihi animos facit, quod laborem istum, cuicuimodi est, eorum hortatu atque imperio suscepi, quibus scilicet omnia debere mihi videor, vocatus in societatem exercẽdæ virtutis, tanti factus honoris particeps, quantus ab excellenti multo-

rum

rum doctrina, ab eximia pietate, à quotidianis Christi caussa susceptis vigiliis potest emanare. Igitur liberumne mihi fuerit non obsequi viris gravissimis, non credere sapientissimis, non gratificari amicissimis?

Tuo vero nomini, Illustrissime Domine, liber inscriptus ut exiret fecerunt quidem multa. Mitto eximias virtutes tuas, immortalia tua in Rempublicam christianam promerita, quæ ante me eximii viri duo, mihi perfamiliares * in Cœ-

* *Matthæus Aymerichius è Soc. J. notum in Rep. litteraria nomen, in luculentissima Dedicatione præfixa Prolusionibus Phil. editis Barcin. an. M.DCC. LVI. Et Jacobus Brichfeus, Jur. Can. Doct. eiusdemque meus Cervariæ olim auditor, in Epistola nuncupatoria ad Ælii Marciani Lib. singularem, quem an. M.DCC.LVIII. in maximo illius Academiæ theatro defendit, Patrono Ignatio de Dou J. Civ. Professore, & elegantissimi operis Auctore.*

Cœlum extulerunt, quæque ferunt scilicet quotidie qui à Te perquam feliciter reguntur Turiassonenses populi. Sed humanitatem Tuam cum mirabili sapientia conjunctam non mitto. Quis enim Te humanior, ac doctior qui Musis faves? Faves, inquam, Musis hispanis; faves ingeniis, pro ea qua præstas eruditione acerrimus ingeniorum æstimator. Nihil deesse litteratis hominibus, nullum commodum, nullum ornamentum pàteris. Nemo excluditur sermone Tuo, nemo congressu. Tui omnibus copiam facis. Eandem omnibus humanitatem ostendis. Et cupis denique virorum illustrium res gestas æternis mandari monimentis litterarum. Testis est

epis-

epistola à Te ad eximium Juvenem Franciscum de Milans, Bonaventuræ filium nuper data. *Nimium serò,* scribebas, *lucem publicam videt P. Carùsii Historia : Erat certe vir sanctus meique amantissimus.* Fateor quidem, Præsul optime ac sapientissime: Jam diu æquum esset *sancti viri Tuique amantissimi* ut optimis exemplis frueretur christiana Respublica. Sed fruetur tandem aliquando Te impulsore ac Patrono. Est jam quod plurimum Tuæ amplitudini viri boni debeant, ac nostræ præsertim sodalitates, qui me sponte currentem excitaveris & ad id quamprimum faciendum acueris.

Accipies ergo exiguum munus Historiæ à me de rebus Aug. Carùsii

rùsii subcisivis horis conscriptæ, & virorum aliquot (maxime verò Illustrissimi ac Venerabilis Conditoris nostri Ollegarii Monserrati , Urgellensis Episcopi) imaginibus ornatæ. Accipies autem libentissime per manus eiusdem nobilissimi Juvenis Tibique in paucis carissimi Francisci Milansii, de domo nostra benemeritissimi. Cui ego , vel hoc solo nomine quod Te mihi Patronum conciliârit , grates dum vivam agere atque habere non desinam quantas maximas potero. Hunc verò , qui Te amat impense, Tuasque laudes utrâque manu ad astra sæpe tollit , non voluntatis modo , verum etiam studii ac benevolentiæ in Te meæ testem habeo. At ego non

id

id solum specto, mea ut uni Tibi pateat observantia. Sed præterea ut omnibus pateat gentibus vehementer cupio. Pàtere igitur, Vir humanissime, ut libellum hunc Tuo dicatum nomini cum exteris nationibus communicem. Et quando jam hoc tribuisti humanitati Tuæ, ut nos in clientelam Tuam susciperes; tribue idem constantiæ, ut susceptos Tuo præsidio tuearis ac foveas. Quod ego quidem ita opto ut sperem, ita spero ut futurum mihi persuadeam. Vale summum Patriæ decus, & communi Ecclesiæ Dei bono diu vive. Dabam Barcinone calendis Februarii anno salutis M.DCC.LXV.

PRO,

PROLOGUS.

Quod nostræ Congregationis sodales votis omnibus expetebant, externi quidam pæne convicio eflagitabant, ut Venerabilis viri Augustini Carùsii res præclare gestæ posteritatis memoriæ commendarentur, id tandem non tam sponte nostra, quam officio coacti adgredimur. Dolebant illi quidem memoriam vitæ eius sanctissime actæ obliterari sensim transcursu temporis; jam enim ab illius interitu, vel potius, ut cum priscis loquar Patribus, dormitione, amplius duodecim anni sunt, quum tanti viri memoriam nemo scripto excitare conatus est. Hi verò etiam nobiscum quodammodo expostulabant, cupiebantque in vitam ipsius tanquam expressam animi imaginem intuentes, amantissimi sibi dum in vivis esset Patris lenire desiderium. Utrisque igitur gratificaturus, non ipse quidem suscepi hanc provinciam,

ciam, sed ad me delatam non invitus recepi. Ex quo enim sanctissimum Neriani Oratorii Institutum inire decrevi demandatum id mihi operis fuit à Moderatore tum temporis huiusce domûs, qui post initam à me Congregationem, meam à me fidem repetere non destitit, & mecum agere ut debitum, si non repræsentare, saltem post legitimum diem perendinare ne vellem. Et fide data, & officio, & pæne imperio coactus, feci libenter ut manum operi admoverem: ratus etiam cessurum id in laudem primùm omnium bonorum largitoris Dei; nec non Carùsii ipsius; deinde ad aliorum etiam utilitatem. Nam si summorum domi militiæque virorum res gestas litteris prodere, res semper visa est & maioribus ipsis amplissima & posteris salutaris; quanto magis erit illorum, qui absolutissimam christianæ perfectionis formam expressère, quæ omnium esset imitationi proposita. Atque ut latiùs pateret hic fructus malui vitam

Vene-

Venerabilis viri latino sermone describere; consulens præcipue florentissimis Italiæ Congregationibus nostris, quæ certe & sodalis sui laudibus exsultabunt, & ipsius exemplo ad Sancti Patris nostri vestigia alacrius persequenda, quamvis currentes jam, nonnihil tamen incitabuntur. Iccirco etiam quoties tulit occasio, & oratio ipsa incidit in insignem aliquem Carùsii perfamiliarem, præcipue verò nostræ huius Congregationis virum, in eius laudes latius aliquanto fortasse quàm fieri solet excurri, brevemque vitæ ipsius morumque tabellam adumbravi, non sine summorum Historicorum exemplo; quoniam hæc prima nostrarum rerum in lucem prodit Historia, & nisi hic aut reperirent locum, aut sibi facerent, jacerent fortasse in tenebris & oblivione viri immortali gloria dignissimi. De scribendi genere nihil adtinet dicere; ipse prudens & eruditus lector pretium statuet: certe pro tenui nostra facultate tanto argumento non prorsus

in-

indignum persequuti fuimus: si minus adsequuti, non tam voluntas nobis defuit, quàm copia viresque. Quare, ut ait ille, *si hac non successit, alia adgrediemur via*: spero enim fore, ut brevi eandem Historiam, in nostratium in primis gratiam, longe etiam auctiorem vernacula lingua conscribam & in publicum emittam.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Eâ qua par est animi demissione ac reverentia Decreto Urbani VIII. Pont. Max. auscultans, eiusque explicationi, & confirmationi; profiteor ac denuntio, me haud alio quidem sensu quidquid in hoc libello scripserim accipere, aut à quopiam alio accipi velle, quàm quo ea solent, quæ humana tantummodo nituntur auctoritate, non autem Catholicæ Ecclesiæ, aut sanctæ Sedis Apostolicæ, exceptis Viris iis, quos eadem sancta Sedes Sanctorum fastis adscripsit.

DE

DE VITA
VENERABILIS
AUGUSTINI CARUSII,
DOCTORIS THEOLOGI, CONgregationi Oratorii S. Philippi Nerii Barcinon. octavùm Præpositi, & Congreg. Orat. Vicensis Institutoris.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

ORTUS EJUS, AC PUERITIA.

IN ea Cataloniæ parte, quæ Pyrinæo est ulteriori vicinior, ac Ceretania vocatur, obscurum extat oppidulum, quod Bolvirium incolæ adpellant. In hoc oppidulo casu quodam, aut divino

potius consilio natus est Augustinus Carùsius, cuius vitæ, ac virtutum effigiem adumbrare, recentemque excitare memoriam in unius Dei laudem, nostrarumque commoda sodalitatum adgredior. Lares quidem paterni non ibi, sed in alio erant oppido, quod Sanctus Johannes Abbatissarum vulgi sermone nominatur, pertinetque ad Diœcesim Vicensem; Unde ipse, quum de patria rogabatur, originem hausisse dicebat suam. Quemadmodum Christus Dominus (qui Augustinum vel à cunabulis similem sui voluit) etsi natus Bethleemi in Judæa haud bethleemiticus, sed nazarenus audiebat. Bolviri igitur XIII. Calendas Novembres anni à partu virginis M. DC. LXXI. natus est: verum protracto aliquandiu ob Patris absentiam sui baptismate, nono demum Calendas ipsius, Divo Raphaëli sacro, Augustini nomine donatus. Quo anno Conditor noster Vir Illustrissimus Ollegarius Monserratus, de quo postea redibit sermo, de erigenda Barcinone Oratorii Congregatione

Carùsii natale solum.

ne cœpit cogitare, ac cum nonnullis gravissimis viris tractare serió; conatu ita prospero, ut eam elapso biennio, strenuo gnavoque commilitonum delectu habito erexerit. Sub his itaque auspiciis adeo felicibus exoritur Augustinus, Patre Hilario Carùsio, Patricio Barcinonensi, * Matre Helena Mediavilla, honesto genere, insignique virtute claris, sed quæ tùm erant tempora parum opulentis. Tametsi enim gens Carúsia, quum in Italia per longam Avorum seriem, tùm in Hispania in honore habita erat; Hilarius tamen uná cum Patre in exercitu Regis catholici centuriæ militum Ductore, & lare, & patrimonio spoliatus, inaurandi, pingendique artem exercere coactus fuit. Ea porro arte, ac labore, & filium minimum natu, & filias alebat tres, quas ex Helena susceperat. Quarum secunda item Helena, Gerundæ in Monasterium S. Claræ cooptata, ibidem Abbatissa creatur, & fere nonagena-

Parentes Carùsii.

Helena eiusdem Soror femina religiosissima.

* *Civem Honoratum Barc. vocant nostrates.*

ria singulari quidem sanctitatis opinione decedit sexto cal. Jun. an. Chr. M. DCC. XLIX. Jam verò haud multis post Carùsii ortum diebus, famulæ imprudentia supra ipsum decidentis, aut fortassis mali genii agitatione, parum abfuit quin cunabula pro sepulcro haberet puerulus. Sed qui magna in eo moliebatur grave malum avertit Deus.

Educatio, Augustini. Mater interea, pia in primis, ac religiosa femina, prout ipsa amabat virtutem, eandem filio monitis suis sanctissimis instillabat, eumque doctrinis iis, quibus in sinu Matris puerilis ætas informari ad recte vivendum solet erudire curabat. Adparebat autem in puero præstans, & ad omnia natum ingenium cum eximia morum facilitate conjunctum, ut non modo celeriter quæ tradebantur arriperet, sed ad nutum quoque Parentum exequeretur. Accedebat ad hæc mira morum suavitas, hilaritas & comitas vultûs, congressûs ac sermonis facilitas. Unde fiebat ut & æqualibus suis, & universis popularibus esset admo-

dum

dum gratiosus. Cum hisce vero dotibus mirum erga Deum amorem conjunxit Augustinus. Quo ita fuit vel à puero perculsus, ac inflammatus, ut quotidie priusquam iret cubitum in angulum domûs abdens se, introspiceret in mentem suam num eo die facto aliquo peccasset dictove. Quodam vero die cogitatio sola de irato Deo, atque anxia de levi culpa suspicio, adeo, ut fertur, tenellum eius animum pupugit, ut temperare sibi non posset, quin crebris, altisque suspiriis lacrimarum imbrem effunderet. Ea in Carùsio jam tum surgentis virtutis deprehendebantur semina. Ut falsum adpareret, quod à viro quodam sapiente traditur, non posse in eo esse succum diuturnum, quod nimis celeriter est maturitatem adsequutum. Prima latinæ linguæ rudimenta non admodum feliciter edoctus est, pluribus, & fortasse haud satis doctis, ob crebram paternæ domûs migrationem Magiſtris usus. Sed tamen ipse, ut erat judicio acerrimo, quod ætas jam corroborata augebat

sen-

sensim, propria industria, improboque labore perfecit plane ut satis superque grammaticis, latinisque præceptionibus imbueretur.

CAP. II.

ADOLESCENS BARCINONEM proficiscitur, ibique Philosophiam adgreditur.

EA erat jam ætate Carúsius (annum quippe adtigerat septimum decimum) in qua non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere Parentes possent sui, talem extiturum qualem probati mores spondebant. Iccirco quo melius gravioribus disciplinis, quarum erat cupidus, operam collocaret, venit Barcinonem. Quæ Urbs nunc Cataloniæ primaria intra Laletaniæ fines ad oram maritimam condita, inter præcipuas etiam Hispaniæ, atque adeo Europæ numeratur. Eam enim quum ob antiquitatem, agri ubertatem, cœli temperiem, ædificiorum pulcritudinem, portûs dignitatem, mænium

Barcinonis descriptio.

nium

nium amplitudinem; tum vel maxime ob maritima mercimonia, & avitam Religionem jamdiu celebrem, novis in dies ornamentis nobilitarunt Barcinonenses Cives. Mauros siquidem, aliosque hostes bello lacessentes magnificis præliis superarunt; atque infinito propagandi nominis studio in Assiæ Regiones profecti, gentes locis tutissimas, feritateque truces, maiore suo cum periculo, quam damno, maximo vero cum Patriæ decore subegerunt. Neç minus quam bellicæ artes, optimarum artium studia Barcinone enituére. Ex quo præsertim publicum litterarum gymnasium in ea conditum est, ac summa Caroli V. Cæsaris munificentia circa medium sæculum sextum decimum quamplurimis auctum honoribus. Namque opima tunc clarorum in omni disciplinarum genere virorum, & latine græceque eruditorum in eo seges efflorescere visa est. Sed florentissima Academia, quemadmodum Urbs isthæc intestinis discordiis ab anno M. DC. XL. excitatis, mox- **Academia Barcinon.**

que

que contagiosa lue accedente pæne concidit. Stetit tamen proxime elapso sæculo exeunte; at non ea qua olim sapientissimorum hominum copia, nec illo bonarum artium splendore. Ergo in hanc Urbem, ut reliqui solebant è tota Catalonia ingenui adolescentes, Auguſtinus pervenit ad litterarum studia capessenda. Audita ibi per triennium Philosophia, ob insignem spectatamque probitatem, celsam & præclaram indolem, magnosque in eo genere studiorum profectus, valde Præceptori suo erat carus. Qui omnia de eo summa, ac præter vulgarem consuetudinem præsagiebat, haud vana equidem opinatione. Nam secundo anno exeunte Philosophici curriculi jam ad clepsydram orabat. Solebant quippe ea tempestate adolescentes ii, qui reliquis in huiusmodi studiis antistare videbantur relectionibus extemporalibus, ceu tentamentis quibusdam, ad Professoris munera ea proludere, quæ minoris subsellii nominabantur. Quorum si nullo potitus est Augustinus haud

Carùsii in Philosophia progressus.

haud maiori sane aliorum ingenio ac doctrinæ, sed sagaciori in perquirendis scholarium votis industriæ, prensandique dexteritati, aut altiori potius consilio tribuendum putem. Ad alios namque suggestus, ad maiora eum munera vocabat Deus.

Nihilominus degebat vitam ille Barcinone libenter. Ubi per summam tranquillitatem non modo sedulam litteris navare operam posset, sed virtuti insuper vacare, & in sacris quotidie exercitationibus versari, sine quibus vitam aut nullam, aut sane acerbam putabat. Ipsa vero cæli aura salùbris ac temperata, jucundissimæ per omne tempus ambulationes, sodaliumque qui eòdem studiorum caussa venerant consuetudo sermonesque, alium quemcumque recreare valuissent; at Carùsium non recreabant, qui dudum caducis rebus nuntium remiserat, secessionemque diligebat unice. Inde quantum alii condiscipuli sui ad voluptatem, & oblectationem consumebant temporis, tantum ille in templi cuiusdam angulo

dabat Deo. Et quemadmodum illi, ut vires reficerent alerentque novum sibi ipsis aliquem excogitabant in otio ludum; ita Augustinus novum sibi studium rerum cœlestium parabat, utilemve in domibus Religiosorum hominum exercitationem quærebat. Qua ipse tantummodo delectabatur, ac labores curasque levabat suas. Paupertate quippe tanta laborabat, ut tantum non mendicitas dici quàm verissime posset. Sæpe enim rerum omnium inopia oppressus vel diurnum cibum à Magistro, aut à sodalibus quæritare cogebatur. Quod quum videret haud parum incommodi studiis suis adferre, & à Parentibus egenis itidem exspectare nec obolum posset, consilium cepit locandi operam ſuam erudiendis alicuius familiæ pueris, eo pacto, ut quod sibi ab illis occupationibus superesset otii, id totum daret aut privato studio, aut Academiæ. Repertâ ob Præceptoris sui sedulitatem familiâ res illi, ut videbatur, è sententia cesserat. Verum magis magisque spectante Deo

Paupertas Carùsii.

Carù-

Carùsii animum ac tolerantiam, in domum incidit magna rerum inopia laborantem. Ut inde emigrare subito, alteramque cogeretur adire. At ex his neutra bona, sed alia alià peior fuit. Quare vix erat, ut explere unquam inediam posset. Adeo verum est quod dicitur, desertam futuram hominis vitam nullius cinctam amicitiæ præsidio. Tamen, ut hominis erat patientia, panis aliquot frustulis, quibus jeiunium solveret à condiscipulis sæpius emendicatis contentus erat. Verum quoniam non eadem virtus corporis, ac animi esse solet, parum abfuit quin die quodam, quum in gymnasio Dominicanorum orationem de quæstione Philosophica aliquam ad collegas haberet, macie confectus, semianimisque corrueret. Quo permotus frugi adolescens familiaris eius, ac condiscipulus, nec etiam satis locuples domum eum ad se adduxit, & contubernio excepit humanissime.

Has vero inter angustias magnis incedebat, abundabatque lætitiis Au-

gusti-

gustinus, Deo illum reficiente interius, qui erat laboris, & tolerantiæ merces, ac stimulus. Cui ille, ut vices rependeret, & qua ratione cumque posset amore responderet suo, adsiduus erat in meditatione beneficiorum divinorum, ac præsertim passionis, mortisque Filii Dei. Unde non poterat, quin perpetuo ob oculos Jesu Cruci affixi imago ei obversaretur, nullius unquam temporis oblivione delenda, vel obscuranda. Atque ex hac jugi, & indefessa Dominicæ passionis memoria veluti fonte quodam desiderium illud manabat austeritatis, & pœnitentiæ. Manabat itidem arctissima illa, atque innocentissima vivendi ratio, quæ in ipso adolescentiæ flore, & in juvene tam impense litteris dedito admirationi erat, atque adeo stupori. Somni enim, ut fertur, erat parcissimus, nudam sæpe humum, duramve interdum tabulam pro lecto habebat. Mane ut primum evigilasset (surgebat multo maturius, quam ii, quibus opera vita est) ac priusquam studio

Arctissima, & sanctissima vitæ ratio.

dio litterarum navaret operam, nixus genibus haud modicum tempus dabat tum certis precibus, tum divinarum rerum contemplationi. Post horas matutinas studio datas, Academiam petebat. In ea, quod ad rem, commodum, ac salutem sodalium spectare videret posse, prætermittebat nihil: omnibus, quum tempus posceret, affabilis, comis, blandus, liberalis, injurius nemini. Si quando in improbum quemdam incidisset, aut blande monendo corrigebat, aut si non esset profuturus dissimulabat ac tolerabat: Sed quum primum liceret discedebat ab illo. E schola ad templum nulla mora transibat. Quotidie enim augustissimo Missæ Sacrificio non interesse religioni ducebat. Ter in hebdomada eidem Sacerdoti, quem ex familia nostra sibi delegerat, peccata confiteri solebat, & cœlesti illico pane sese reficere. Quumque sacris concionibus delectaretur mirifice, diebus festis ad illas accedebat, nec minus religiose quam ad divinam mensam. Pias po-

Carùsii comitas in sodales.

tissi-

tissimum Congregationis nostræ, illiusque quæ in commentatione dolorum divinæ Matris versatur exercitationes, quoad eius fieri posset, deserebat numquam. Domum reversus, posteaquam sacrorum librorum lectioni nonnihil dedisset, meliores horas usitatis Philosophiæ studiis tribuebat. Tandem priusquam iret cubitum, flexis ante Christi imaginem genibus, secum ipse quibus negotiis peractus esset dies attente reputabat, ut si quid admissum esset veniam precaretur, sin minus gratias largitori suo ageret haberetque quantas maximas posset.

CAP. III.

ANNOS NATUS UNDEVIGINTI Theologiæ operam dat.

Studet Theologiæ.

SIc vitam duxit Augustinus ab anno ætatis suæ sexto decimo ad annum undevicesimum, quo sacram Theologiam adgressus est. Quam semel degustatam maiore in dies ardo-

re

re amavit coluitque. Nactusque in Academia Magistros perquam doctos, omnibus modis effecit, ut dignum se illorum exhiberet discipulum. Ea propter quæcumque ab illis serio dicerentur, quasi ex tripode dicta accipiebat. Immo quæ facile memoriâ excidere putabat posse, litteris consignabat fidelissimis rerum vocumque custodibus. Conflictationem argumentorum illam in Scholis nostratibus usitatam, quæ palestra ingeniorum est, ut nervos animi excitaret contenderetque, adhibebat quoque, sed ita modeste, ita composite, ut quum vinceret cunctos à cunctis amaretur. Quæ omnia quum laudabilia maxime per sese sint, ac Carùsio perhonorifica; tum illud profecto maiore laude, ac prædicatione dignum est, quod arbitratus humanæ scientiæ infirmam esse gloriam nisi perpetuo erga Deum amore fulciretur, hunc ipsum amorem in oculis semper, in mente, in intimis sensibus gestaret, haberetque antiquissimum. Propterea quantislibet dis-

Sapientiam cū sãctimonia conjungit.

distentus curis, ipsoque abreptus disputationum ardore, colligebat interdum se, animumque ad bonam aliquam cogitationem, aut res divinas transferebat. Quod ei factu minime erat difficile. Siquidem precandi adsiduitate hoc effecerat, ut in unius Dei recordatione, & quasi amplexu per summam oblectationem lætitiamque adquiesceret. Itaque Barcinone vivens, totumque in litteris reliquum diem ponens, otio laudabili, quo Deo se daret, tanto fruebatur, quanto deserta in regione frui posset. Adeo sapientia, & sanctitas mutuo se fovent aluntque.

Hinc progressus non in Theologia modo, sed in solida etiam virtute maiores faciebat quotidie. Quod eo magis mirandum est, quo magis egestate illa, quam nuper dicebamus summa, premebatur. Cura enim emendicandi in singulos dies victûs quantum adferat studiis detrimenti nemo non videt. Sed Deus, qui paupertate ea viri constantiam experiri, ac meritum volebat augere, Præcep-

torum

torum, & sodalium quorumdam movebat animos, ut egestati suæ subvenirent, illudque saltem porrigerent, quod esset ad tuendam valetudinem satis. Immo (quæ mirabilis est Domini in pauperes suos benignitas) quum annis quatuor in Theologico curriculo insumptis, adeo profecisset Carùsius, ut à bene inteligentibus, beneque sentientibus viris idoneus haberetur, qui universam Theologiam publicis thesibus propugnaret; nec ipse ut typis mandarentur par esset, eosdem, & Præceptores, & sodales induxit Deus, ut qui fierent in editione sumptus, ære ſuo libentissime persolverent. Quod factum, si cetera deessent, satis eundem superque commendaret, abundeque singularem omnium erga se amorem ostenderet. Ergo positiones sacras in Academia defendit Augustinus. Quam recte, ac sapienter haud ego dixerim: prudentissimus quisque rerum æstimator dijudicet. Conjecturam ex eo facere poterit, uti ego facio non vulgarem, quod è vestigio

Univerſā Theologiam propugnat.

 to-

totum quantum erat Athenæum Barcinonense post singulos academicorum honorum gradus, suprema ipsum Theologiæ laurea donaverit. Ac profecto vere donaverit: tam enim ille miros in Professorum animis amores excitavit sui, ut ferme omnes, quidquid ipsis honorarii pro Doctura impendi solitum erat, acceptum haberent, aut statim ei sponte redderent sua. Quo factum est, ut unde alii pauperiores, ditior ille, quàm fuerat unquam, evaderet.

Doctoris insignibus gratis decoratur.

Igitur Theologiæ Doctor renunciatus Carùsius cœpit animo volvere, quì posset egregios quos à Deo honores acceperat, doctrinæque suppellectilem in aliorum fructum utilitatemque conferre. Non enim ex illis fuit, qui sibi ipsis soli sapiunt, ac spiritum habent solitudinis; sed mentem ei Deus indiderat divinæ gloriæ cupidissimam, mireque boni communis, ac proximorum salutis studiosam. Iccirco quum videret quosdam optime institutos adolescentes ædem peregrinorum Divæ Marthæ

sacram (sitam per ea tempora in campo juxta portam novam) frequentare multò , ibique infimam plebem Doctrinæ Christianæ præceptis imbuere, & ad solidam virtutem perfectionemque informare ; committendum non putavit , quin extemplo comitem illis daret se. Norât scilicet proprium esse sapientiæ bona sua non in sinu clausa atque constructa habere , sed in alios etiam diffundere. Rem tamen prius cum confessario communicat. Qui ut erat apprime doctus prudensque , non modo consilium probat , sed incitat quoque currentem. Ad illorum itaque societatem institutumque aggregatus , mirum quo animi æstu ac contentione ad puerorum , grandiumque cathechesim incubuit. Eos etenim non solum prima fidei rudimenta docebat, sed si errantes deprehenderet ad meliorem revocabat frugem. Quippe tanta illi erat in voce suavitas , ac persuasio , ut hæc sola tenere hominum cætus valeret. Ita post impleta studiorum curricula , in plebe rudi

Proximos cōsiliis, sacrâque instituttione juvat.

fidei morumque præceptionibus erudienda, & ad studium Religionis incitanda magno cum animorum fructu annum integrum consumpsit.

CAP. IV.

PINGUE SACERDOTIUM PATRIÆ suæ repudiat, & ad Congregationem mirabili eventu vocatur.

INterea quum viri sanctitatem, atque doctrinam fama vulgaret, accidit opportune ut Ecclesia oppidi S. Johannis Abbatissarum Curione indigeret. Quare Archipresbyter, illius túm Sacerdotii patronus statuit non alium quàm Carùsium in eius muneris honore collocare. Tantum apud bonos valet ab ineunte ætate probitati, ac litteris dare operam. Itaque certiorem de re facit Augustinum, utque iter in Patriam quàm celerrime arripiat monet suadetque, certus omnino eum locupletis beneficii commoda, obviis, ut aiunt, ulnis amplexurum, nullamque rem Pa-

tris,

tris, ac Patriæ caritati prælaturum. Ceterum quum longe aliter existimaret (Deo ità disponente) Augustinus; postquam tam præclarum amplissimi viri de se judicium magni fecit, justaque grati animi testificatione fuit prosequutus, aliò se vocari illi significavit, neque è re sua fore illiusmodi Sacerdotium admittere. Perculsus est responso eo Archipresbyter. Sed tamen ut eum diligebat, eratque Hilarii precibus, quibusdam velut stimulis fodicatus, instare rursum, illumque per fortunas omnes rogare ut annueret; addens, si secus faceret, fore ut ingrati in se animi notam, diræque in Parentem crudelitatis videretur subire, qui ex opificio suo vix lucri tantum faciebat, quod esset ad vitam parce, ac duriter agendam satis. Ad hæc Carùsius, idem quod supra, eademque animi demissione reposuit; persuaderi autem sibi nunquam est passus. Sed eo connitens quo mentè ferebatur academici stadii cursum denuo urget, & cuiusdàm Philosophicæ Cathe-

Sacerdotium amplum repudiat.

thedræ petitorem se præbet. Dum autem hac via juventutis edocendæ placere Deo suo cogitabat Carùsius, eandem vivendi rationem mirabilem illam quidem retinebat. Immo quum maiore quam antea otio abundaret, hanc nostram domum visebat multo crebrius. Quo factum est, ut in eum adcuratius intueretur vir sanctissimus Johannes Roca, Doctor Theologus, sed Curio tùm temporis sanctæ Columbæ, ignobilis Diœceseos Barcinonensis pagi prope Bætulonem. Hic est vir ille Apostolico plenus spiritu, quem aiebat idem Carùsius fidissimam S. P. nostri Philippi imaginem fuisse. Vir eximia non modo virtute, & altissimæ contemplationis dono, sed Profetiæ quoque, ac curationum gratia præditus. Hic itaque vir tantus, pro ea qua pollebat altitudine animi, & spirituum, ut vocant, discretione cœpit animo præsagire, ac spe præcipere fore Carùsium Nerianæ dòmûs sibi devotissimæ operarium eximium. Ut vero cognovit ille clarius rem se gratis-

Johannes Roca Doct. Theologus, & publicus in Barcinō. Academia Professor.

tis-

tissimam Deo, ac B. Patri facturum, si optimæ spei adolescentem instituto suo aggregaret, tentare illum primo, suadere deinde, ac nunquam non hortari, atque adeo obsecrare ut Nerianus fieret. Sed occinebat surdo. Quoniam vero nulla fugæ ratio adversus persequentis Dei consilia, quum die quodam Augustinum juxta ædem Div. Justo, & Pastori sacram offendisset Johannes, validissime eum adoritur, vultuque ad gravitatem terroremque composito; scito, inquit, nec dubites Carùsi, velle „ Deum ut quantocitius Oratorii do„ mum ingrediare, ibidem moritu„ rus. Quibus verbis gravissimi, & spectatæ virtutis viri, velut fulmine quodam de cœlo tactus, perculsusque (ut ipse postea fasus est sæpenumero) hæc reposuit Carùsius:„ Igitur si hæc „ voluntas Dei est, oportebit im„ pleri. Nec plura. Immo quam unusquisque pergebat prosequutus est viam. Exinde autem tam alte Carúsii animo insedit monitum illud, quo scilicet vir sanctus illius mentem ad

Mira Augustini vocatio.

cœles-

cœlestium rerum amorem concipiendum acuit vehementius; ut nihil posthac agere, dicere, sentireque statueret, nisi quod voluntati Dei consentaneum esse plane intelligeret. Quam ille deliberationem, quoad vixit, adeo tenuit constanter, ut semper divinum placitum in omni opere ac verbo præ se ferret.

Jam vero, ut re ipsa monstraret quam ille prompto animo voci Dei obediret, Johannē Rocam domi nostræ diversantem, uti sæpe alias solebat, non multo post convenit. Eique quinam sui sensus essent candide aperiens: „Mihi, inquit, vir egregie, Nerianæ quidem militiæ nomen dandi „non erat animus quidem. Quin ego „captus amore litterarum ad magisterium quoddam academicū magno impetu contendebam. Sed ea tamen (si quod sentio dicam) mente, ac proposito, ut in solem ac „pulverem aliquando evocarer, & „ad sanctum Jesu-Christi Evangelium populis nunciandum fortior „me accingerem. Do tamen manus:

Carúsii oratio.

„tibi-

„ tibique interpreti, ut certum mihi
„ sedet, voluntatis divinæ auscultare promitto. Ad hæc Johannes: „ Istud enim vero est sapere, mi „ Augustine, istud tibi vere, ac prudenter consulere, quod Deus de „ nobis velit, unice velle, propriamque suapte sponte voluntatem negare. Quid enim miseri in his rerum humanarum fluctibus adsiduis „ jactemur? Una salutis via est, si „ nos in unius Dei placitum, velut in „ tutum portum recipiamus. Atqui „ consilium illud tuum nunciandi „ Evangelium, nusquam implere melius poteris quàm in domo S. P. „ Philippi, ubi nullus est festus dies, „ quo illud populo non aperte, ac „ cum fructu exponatur. Igitur tibi „ auctor sum, ut quàm celeriter Præposito te sistas, eumque ut dignetur te in sodalitatem suam adsciscere humiliter poscas; non enim dubito quin te (quæ eius est humanitas atque amabilitas) benigne sit, „ ac suaviter complexurus. Ego interea Deum, ut rem fortunet, pre-

Johannis responsum.

„ cari

„ cari enixius, omnemque meam
„ operam tibi polliceor.

CAP. V.

CONGREGATIONEM INGREDItur Nonis Martii anno Christi M. DC. XCVI.

FEcit Carúsius quod vir ille imperaverat, resque cessit feliciter. Nam eum paucis post diebus, & Præpositus, & Sacerdotes reliqui, qui ob expletum in Congregatione decennium jus habebant sufragii, in eandem admittendum esse statuerunt, insuper etiam habitis inquisitionibus quæ ceteroquin de vita, moribus, bonoque nomine candidati præmitti debuissent. Quandoquidem nemo erat, qui nesciret quàm natus factusque esset ad institutum Carúsius. Itaque Nonis Martii anno Christi M. DC. XCVI. admissus ad primam probationem est, ac nonis ipsis Martii tyronibus aggregatus, quum annum quintum supra vicèsimum ageret.

Congregationi nomen dat Augustinus

ret. Ubi autem tanti Parentis filium, quantus est S. Philippus, fratremque tot virorum non minus probitate, quàm doctrina illustrium sese agnovit Carùsius, haud facile memoratu est, quanto gaudio, & quam mirifica fuerit voluptate perfusus. Unum exoptandum, ut qui illam mentem cum ea pace dederat (dederat autem omnium auctor felicitatum Deus) idem vellet utriusque rei fructum esse diuturnum magis. Verum, ut humana sunt omnia, cessavit illico pax, gravesque pœnas in re ipsa tulit Augustinus. Pater enim eius Hilarius de ingressu in Oratorium suo certior factus Barcinonem advolat, ipsumque nulla mora conveniens, sic flens adloquitur: „ Ergone fili mi, tantum „ in te scelus admisit Pater tuus, ut „ eum ætate ingravescente, sponsa „ carissima orbatum, jamque quærendo victui imparem deseras tu, „ & abjicias, qui eras spes unica, & „ vita? Quo te tua mens tulit? Ad „ hoc porro tanti, quanti est miserũ Patrem relinquere haud alio te

Hilarii Carúsii vehemẽs oratio.

„ usum

„ usum consiliarîo, quàm temetipso
„ oportuit? Prudens num tibi quis-
„ que talia suasisset? Si vis sanctus,
„ si vis perfectus esse, quod laudo,
„ ac per me licet, adeo perditus ego
„ sum, ut apud me non queas? At-
„ qui in eo perfectio sita est ut pau-
„ peribus dones. Quis vero pauperios
„ Patre tuo, qui sine te, nisi è ver-
„ tigio moritur doloris magnitudi-
„ ne, fame certe, ac inopia confec-
„ tus vitam aget morte ipsa durio-
„ rem? Quid dicam amplius nescio
„ fili mi. Ad quæ Augustinus, ut erat lenis animo, ac Patri obsequentissimus commotus est paulisper: sed statim sese colligens, mentemque ad Deum erigens respondit breviter; scire se probe quæ sint officia filiorum erga Parentes suos: sed Deo prius quàm Patri obedire oportere: ad Deum autem spectare, quum de filio disponit, Parenti subvenire tametsi seni, & pauperi.

Quo responso nihilo tamen minus irritatus Hilarius, post pertentatos frustra Præpositum, & Patres, ut

eum

eum è Congregatione sui caussa dimitterent, Episcopo se sistit Emmanueli Albæ, eique factum narrat fletu magis, quàm vocibus. Cui prudentissimus Præsul, ut dolorem quoquo modo leniret, filio suo Augustino se fauturum spondet, & Ecclesiam, si velit, quumque ocasio se daret, regendam commissurum. Hac Præsulis benignitate prorsus singulari recreatus Hilarius in spem venit fore, ut ea, veluti nova machina, filii constantiam expugnaret, ac vinceret. Sed spes eum fefellit. Etenim quum pro explorato haberet Augustinus Dei placitum esse, ut in Oratorio maneret, ad quod fuerat mirandum adeo in modum vocatus perductusque, animum obfirmavit, & Dei voluntatem Parentis etiam precibus, lacrimisque anteposuit. At bonæ spei plenus divinæque bonitatis ope munitus, bono animo esse Parentem jubet, polliceturque nihil sibi defuturum quod ad vitam bona, aut infirma valetudine commode transigendam in posterum pertineat. Quod, quàm vere sit dictum,

Emmanuel Alba Antistes Barc.

tum,

tum, satis Hilarius experimento didicit. Nunquam enim passa est Congregatio, ut in victu, vestitu, ceterisque rebus cum incommodo conflictaretur aliquo. Quinimmo in morbis sustentavit eum liberaliter, sumptusque in ipsius exsequiis factos ære suo persolvit. Sic divino præsidio Carùsius Dæmonis artes fraudesque, quibus sub pietatis specie eum à proposito revocare conabatur, constanter abs se rejecit, repulitque. Verumtamen victum se, ac turpissime delusum videns hostis infensissimus, non jam occulte, & aliorum opera, sed vi aperta in Augustinum irruit: eique die quodam in cubiculo, dum de more oraret, clauso ostio, derepente obversatur hominis forma, sed figura horribilis, ac cubile totum lente circumeuntis. Quem ille tandem spectrum diabolicum agnoscens esse, clamat, fugit, projicitque se foras, verum adeo perterritus, ut nisi cito incidi sibi venam pateretur, grave malum, ut Medicus putabat, avertere vix posset.

Congregationis in HilariumCarùsium liberalitas, ac pietas.

Spectrū diabolicum.

CAP.

CAP. VI.

MORBI EIUS DIUTURNI, ET graves, animique perturbationes.

POst hæc duo prima certamina, quibus acerrime constantiam oppugnavit Carùsii, superatusque semper est hostis miserrimus, haud illi diu multumque utriusque victoriæ fructibus frui licuit. Alia namque sequuta sunt, eoque crudeliora, quo intima magis, & diuturna fuere. Principio vehementius torqueri cœptus est languore stomachi. Ob quem cibum concoquere non valens, contumacissimo vomitu corripiebatur quotidie (post prandium maxime, totoque meridiationis tempore) acutissimisque insuper doloribus discruciabatur. Hos stomachi dolores subsequutum est fastidium ciborum omnium, quo ingravescente, traductisque jam inedia diebus aliquot, contraxit febrim. Quæ primò subtiliter, quasique lenibus vestigiis irrepsit, nec multum est animadversa. At pos-

Morbi graves Carùsii.

tea

tea non modo in arterias, venasque, uti ceteræ solent, sed in nervos quoque, ipsaque ossa incubuisse visa est. Eique ita fuit familiaris, ac socia, ut annos plurimos nulla hebdomada elaberetur, in qua illum non corriperet. Et quamquam erat huiusmodi, ut hominem jacentem non teneret, neque vetaret, quominus quotidianas (non modico tamen labore) exercitationes obiret; valde tamen eius vires debilitabat. Accedebat enim labor alter, quod, aut doloris morsu, aut ipsa corporis imbecillitate prohibente, capere vix somnum posset, duceretque noctes plurimas insomnes. Jam vero, ut tantis curatio doloribus morbisque adhiberetur, febrisque tolleretur una omnium insidiosissima, nulla prorsus à Medicis prætermissa remedia sunt. Sed incassum omnia. Iccirco quum unum superesset perfugium mutatio aêris, hæc ab illis Augustino præscribitur. Quibus iste obsequitur lubentissime, quum ob meritum obedientiæ, tum quod apud eum rusticandi erat ocasio,

Carùsii rusticatio.

sio,

sio, qui non tantum valetudinis suæ, sed spiritualis etiam profectûs rationem esset habiturus. Divertit enim apud virum illum sanctissimum Johannem Rocam suæ vocationis auctorem. Cuius suavissima consuetudine, singulari benevolentia, studio, ac sollicitudine multum recreatus, ac tantisper tenacissimo morbo levatus est. Sed domum reversus, quum adduci nullo modo posset, ut otio indulgeret, vel saltem nonnihil de vitæ suæ severitate remitteret, in eosdem stomachi dolores confestim recidit. Quos ille tamen æquissimo ferebat animo, ab omni prorsus querimonia gemituque se continens: nec temperare sibi poterat, quin eandem cum reliquis qui optime valebant, vivendi rationem obiret. Proinde mediâ quantumvis hieme magno frigore constringeretur, nunquam tamen officinas adibat ad ignem accessurus, sed cubiculo haud satis commodo sustinebat algores. Quod non solum patientiæ exercendæ caussa factitabat, sed quod illic concursus

Vitæ ratio in mortis.

erat necessarius multorum, à quo ille abhorrebat, ne à jugi sua averteretur negotiatione cum Deo.

Extra triclinium, perseverante stomachi languore (annos autem tenuit plusquam viginti) cibum cæpit nunquam. Nec alio uti voluit cibo, quàm eo, qui ceteris adponebatur, tametsi ad fovendam eius ægrotationem magis, quàm ad robur suppeditandum esset opportunus. Nisi forte nova, eâque graviore infirmitate oppressus detineretur in lecto. Quod non semel contigit, tamque acerba malorum pervicacia, ut de vita eius omnes desperarent, ipseque ultimum sibi discrimen adesse arbitraretur. Et actum plane de illo erat, nisi qui cunctis malis medetur, medicinam adtulisset Deus, ad altioraque destinatum à mortis faucibus eripuisset. Unum reliquum erat ad viri tolerantiam magis spectandam, perturbationes animi. Quare ut eum gloriosi triumphi materie Deus ipse donaret, in ariditates projecit, ac mentis siccitates adeo acerbas duras-

Animi pertur-- bationes

ras-

rasque, ut sine humano, ac divino solatio sibi esse videretur. Hunc summum mœrorem, animique desolationem augebat vehementer molestia anxietatum: dum ad anteactam vitam oculos retorquebat, & gravia opinabatur delicta ea, quæ quum ex sese tenuia essent, nulla prorsus ætatis defectu, aliave de caussa erant futura. Ceterum, prout ipse ardentissime Deum amabat, huiuscemodi cura, & timore, ne invisa ob occultas noxas Deo sua essent studia, angebatur vehementissime. Et has inter angustias gravi pressus mœstitia ita jacebat, ut nulla res humana eam abstergere, aut vero videretur lenire posse. Verùm Pater cœlestis in tantis tenebris, ac caligine versanti divinæ bonitatis suæ radio affulgebat. Tum enim ipsi, ut coram Eucharistia se sisteret suggerebat: vel etiam ut confessarium adiret. Quocumque autem ex his cœlestibus plane remediis uteretur, tanta luce perfundebatur, ut discussa timoris vani caligine, dæmonem esse earum

perturbationum auctorem clare intelligeret, penitusque adquiesceret. At quum nondum esset bellandi finis, in eosdem conscientiæ stimulos, molestissimasque suspiciones mali spiritus dolo recidebat crebro. Donec vir doctissimus, & eximius sane Theologus Valentinus Pla, qui eidem erat à confessionibus ab ipso ingressûs in Oratorium die, pro eo quod habebat rerum divinarum experimento, jussit illum præteritæ vitæ labes, si quæ fuerant, quod ad confessionem spectaret, perpetua adeo oblivione delere, ut nec ipsi, nec alteri unquam Sacerdoti aperiret rursum. Cui ille quum humiliter obediret, infelicem illam sui calumniandi pœnam non evasit modo, sed alios eodem posthac morbo laborantes identidem curandi miram à Deo facilitatem accepit. At ipse à morbis animi liberatus, eisdem corporis languoribus mansit obnoxius. Neque vero id aliter evenire poterat, dum eam vitam vivebat Augustinus, quæ bene valentem plane-

P. Valentinus Pla.

neque herculeum flagitabat. Siquidem præter onus exercitationum quotidianarum, quod haud leve in Congregatione est, multas ille preces, ac meditationes obibat. Quas quum mente regereret, semperque haberet ob oculos, opus erat, ut qui calor mentem ascenderat, ex officina sua detractus, vires corporis debilitaret supra modum. Unde languor, fastidium, vomitus, febris, vigilia sequeretur, doloresque illi manarent, qui, quod viscerum cartilagini inhæreant, ex argumento hypocondrii adpellantur.

CAP. VII.

CUSTOS SACRORUM ELIGITUR.

HOc quum animadverterent Præpositus,&Johannes Roca,quem Carùsius Parentis habebat loco, distinere ipsum constituunt occupatione adsidua, corporisque exercitatione, quà à jugi illo precandi, contemplandique studio avocetur persæpe,

pe. Itaque advocato quatuorvirûm Deputatorum consilio ipsum in locum laici sacrorum custodis sufficiunt; arbitrantes fore, ut quum toto mane aut adesset Sacerdoti sacris operanti, aut parandis, colligendisque vestibus distineretur, mentemque in ædis custodia haberet occupatam, summam illam meditandi attentionem, conatumque intermitteret. Accepit ille munus serena fronte, ac PP. Præposito, Deputatisque, quod ita saluti, & imbecillitati suæ consulerent maximas gratias egit, habuitque maiores Deo suo, à quo cuncta profluere beneficia putabat. Quanta vero cura, quantâque sollertia in opus sibi demandatum incumberet, facile est existimare. Omnibus igitur tum domesticis, tum exteris Sacerdotibus ita ministrabat, quasi in illis ipsam videret Personam Jesu-Christi. Omnesque ab eo contenti discedebant. Cavebat enim diligentissime, ne quid admitteret, cur eorum quispiam abs se minus diligi, vel probari præ ceteris putaret.

Summa cura Æditiuũ agit.

ret. Et hac in gerendo munere æquabilitate illud adsequebatur, ut omnes eum æque diligerent, ac nunquam expleri jucundissima eius consuetudine possent. Quamquam ipse, quoad eius fieri poterat, silentium dabat; cuius numquam, in sacrario maximè, non severissimus custos fuit. Atque adeo in tanta laude multorum & modestiam servabat, & ad Deum referebat cuncta. Quum vero nonnihil otii suppeteret, aut librum monita spiritualia complectentem legebat, aut precabatur. Sub vesperam insequentis diei negotia disponebat, utque nihil in Templo desideraretur, quod ad nitorem, munditiem, splendorem, ornatumque adtineret, diligenter curabat.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

CAP.

CAP. VIII.

SACERDOS INITIATUR CArùsius, eiusque in Missa celebranda ardor.

INterea Patres tantam Carusii in virtutis cursu progressionem considerantes, de eodem sacris initiando inter se deliberant. Re autem bene constituta, erectoque titulo, quod aiunt, secundum canonum præscripta, minoribus gradibus, & Subdiaconatu insigniri cœptus est mense Sept. an. Dom. M.DC.XCVI: Diaconatum accepit non ita multo post mense Decembri: Sacerdotium vero in Passionis hebdomada anni sequentis, quum annos ageret quinque & viginti, menses sex. Cunctos ordines, quod Emmanuel Alba Præsul Barcinonensis morti proximus (obiit enim IX. Calen. Maii eiusdem anni) haud munere suo fungi posset, ab Episcopo recepit Urgellensi. Tanta porro præparatione, quantam in eo reperiri oportebat, qui ido-

idoneus magis magisque fieri optabat ad nova Divini Spiritus charismata capienda. Contra ac multi faciunt, qui ita ad sacram ordinationem proficiscuntur, quasi ad nundinas eundum esset, maximo Ordinis dedecore, & offensione plurimorum. Quibuscum ne sibi conjungi sociarique contingeret, prudenter antevertens adolescens optimus Josephus Codèrius, sacris etiam tum temporis initiandus, Præpositum nostrum rogavit, sineret comitem se in eo itinere dari P. Carusio. Illi Præpositus non tantum morem gessit, sed etiam significavit hoc tam sibi gratum fore quàm quod gratissimum. Erat enim Josephus Codèrius (juvat heic hominis de nostra domo, deque Ecclesia Barcinonensi optime meriti memoriam excitare) erat, inquam, Josephus ex eo adolescentum genere, qui jam ab ineunte ætate earum exhibent, quæ postea in ipsis extitura sunt non adumbrata, sed expressa signa virtutum. Erat denique talis, qualem optare Barcino

Josephus Coderius Barcin. Canonicus.

cino

cino poterat, quæ eum ex publico Theologiæ Professore, Ecclesiæ primò S. Cucuphatis Rectorem, Ecclesiæ dein maioris à confessionibus excipiendis Canonicum erat suspectura. Unâ itaque cum viro hoc tam simillimo sui Urgellam profectus est Augustinus, ibique Altissimi Sacerdos factus. Ut vero domum rediit, omnem cœpit curam cogitationemque eò conferre, ut quamprimum Sacerdotii sui primitias libaret Deo. Quare missis reliquis studiis, libris illis vacabat solum, qui de rebus tractarent ad sacrum rite recteque faciendum opportunis: Ut quanta maxima diligentia, ac sollicitudine posset ad mysterium omnium maxime horrendum verendumque se compararet. Quumque satis dignitatem conditionis novisset suæ, haud facile dictu est quàm accenso præparatoque animo ad altare novus Sacerdos accesserit; quantaque Divinæ voluptatis perceptione primam illam cœlestem immolarit ac salutarem hostiam. Atque hæc mirifica pie-

Sacerdos consecratur Carùsius

Primum sacrũ facit.

pietatis sensa non tantum in primis celebrationibus, sed deinceps in reliqua vita, retinuit. Nec retinuit modo, sed auxit. Hinc quotiescumque de Divino Missæ Sacrificio verba faciebat, dulcitudine perfundebatur tanta, ut dissimulare non posset. Ita die quadam quum illius Sacrificii dignitatem, & amplitudinem, Novitiorum Præfectus ipse, eisdem persuaderet, ea fuit voluptatis copia delinitus, ut lacrimas inter gemitusque, quum pergere nequiret, sermonem illum interrumpere cogeretur.

Pietas eius in sacro faciendo.

Sciens autem Sacerdotem oportere sic esse purum, ac si cœlestes inter virtutes medius staret, nunquam ille ad altare accedebat, quin prius conscientiam excuteret suam, & adhibita, si copia erat confessarii, adcurata confessione redderet puriorem. Antea vero, & post confessionem, haud modicum tempus coram Divino Sacramento absumebat. Indeque quasi à sensibus abstractus, & in sacri, quod erat peracturus

rus cogitatione defixus egrediebatur. In Missæ introitu, quum psalmum exordiretur, *judica me Deus*, Divini judicii meditatione quasi attonitus perhorrescebat. Ad omnes verborum sensus ita animum attentionemque conformabat suam, ut horrere interdum, interdum exultare adpareret, atque gestire. Neque enim internam eius devotionem, tametsi vellet ipse, dissimulabat facies; maxime quum ad consecrandam sumendamque Eucharistiam ventum erat. Tum enim illi (ut accepi à viris gravissimis, qui ipsi sacris operanti sæpenumero ministrarunt) scintillare primum, madere deinde oculi, totaque vultûs species, & pallere, & flagrare quodammodo videbatur. Hæc, utpote in omnium conspectu posita, quum neminem laterent, adigebant multos, ut quæ à Deo, ac P. nostro Philippo requirebant, fidentius per Carùsium sacra peragentem requirerent. Tanta erat omnium de illo existimatio.

Sed

Sed quid dicam de gratiarum actione, quam pro tam insigni beneficio persolvebat Carùsius? Sacrificio absoluto colligebat se statim, & in solitudinem cordis sui delatus quid ei loqueretur Deus auscultabat. Quid vero ille in jucundissima sponsi cœlestis consuetudine sentiret, quicumque experimento nôrit quàm suavis sit diligentibus se Dominus, poterit deprehendere. Conjectari tamen fas erat ex hominis secum habitantis modestia, & faciei ardore, magna oppido solatiorum cœlestium vi animum exundare suum. Hinc, si quis interea loci ab eo quidpiam requirebat, opus erat ut bis, & ter ipsum tangeret. Quo ille ad se, veluti qui à dulci somno exsuscitatur, redibat. In hac gratiarum actione semihoræ spatium minimùm insumebat. E vestigio sacrum saltem unum attente audiebat, inserviendo eidem, quemadmodum nostræ leges laudabiliter illis præscribunt qui nondum triennium in domo expleverint, quantum-

Gratiarum actio.

tum-

tumvis sint Sacerdotes. Quam optimam consuetudinem toto vitæ cursu retinuit, vel plurimis gravissimisque occupationibus districtus. Nec ab eo negotio agendarum gratiarum omnino per diem vacare poterat. Inde, quum die quodam post celebratam Missam requisitus ab aliquo, cubiculum petere juberetur, gratiarum actione finita; lepide, & sancte fertur respondisse: *Et quando erit ut finem actio gratiarum Deo debitarum reperiat?* Jam illud in transcursu subnectimus, notumque facimus nostrarum sodalitatum hominibus quod est animadversione dignissimum. Spatio videlicet annorum plus quinquaginta vix eum domi ad celebrandum accesisse, quin prius ab Æedituo moneretur, vel peteret facultatem. Quod miram in homine arguit abnegationem sui. Ob quam similiter annis duodecim quibus ipse fuit Æedituus, fuit fere semper in sacro faciendo postremus.

Abnegatio sui in Missa celebrãda.

CAP.

CAP. IX.

CONFESSIONES AUDIRE INCIpit, eiusque in hoc munere prudentia, & eximia caritas.

JAm vero vix creatus Sacerdos, placuit Præposito, & quatuorviris Deputatis, qui eius virtutem, & doctrinam probe habebant cognitam perspectamque, ut confessiones exciperet. Quocirca, ut ad proximum de morali Theologia examen subeundum se disponat, monetur. Quumque in eo haud inventus esset se minor, amplam ab illo qui vice Præsulis fungebatur vacante Sede jurisdictionem fuit consequutus. Quam ille principiò ex laudabili nostræ domûs consuetudine in viros exercebat dumtaxat. Verum non ita multo post (quæ eius erat prudentia, & sanctimonia) nonnullis posthabitis in eo munere antiquioribus, ad audiendas itidem confessiones mulierum jussus fuit accedere. Quanto ardore hoc in se munus

nus

nus Augustinus susciperet, ex eo licet arguere quod mira erga proximos dilectione, animorumque sanandorum desiderio flagraret. Omnes itaque ad se ventitantes benigne, & comiter excipere, eâque lenitate tanquam peritus Medicus ad omnia conscientiarum suarum vulnera haud cunctanter manifestanda impellere: Quin timidis facere animos, divinamque efferendo clementiam delicta primò aptis verbis extenuare, ut hac illi facilitate maiora aperirent scelera, totumque virus evomerent. Sed præcipuè contra puerorum, puellarumque verecundiam exitialem illam quidem tanta ope & arte Augustinus certabat, ut ab eis exculperet quidquid vellet. Si quos indurato corde novisset, minimeque ad pœnitentiam composito, postquam eos blandis verbis commonefecerat, ut eum Patrem prius experirentur quàm Judicem, Inferni postea suppliciis deterrere, Deique vindicis irâ proposita ad odium peccatorum satagebat compellere. Neque eis Eucha-

In confessionibus excipiẽdis prudentia.

cha-

charistiæ Sacramentum sumere permittebat, donec morum mutatio spem vitæ fecisset melioris. Quum autem in ea esset sententia ut arbitraretur, debere nostræ Congregationis homines audiendarum confessionum loco arctissime adhærescere; ut quod verbo docebat, exemplo confirmaret, vix sellam qua ad audiendum confessiones utebatur necessitate cogente deserebat. Nec mane solum ministerio huic vacabat, sed diem integrum, quum res posceret, consumebat in ipso. Et quoties eius rei occasio aliqua se dabat, avidè eam arripiebat urgebatque. Nam quæ libenter facias, etsi magno tibi oneri sint, levissima videntur tamen. Hinc etiamsi negotio quodam distentus abesse à loco cogeretur, signo dato mittebat cuncta, & ad Ædem descendebat. Nihil enim prius erat ei salute & bono proximorum. Quos, quo pauperiores rustitioresque erant, eo adcuratius excolebat libentiusque. Et facilitatis potius memor quàm

gravitatis, ita cum illis quantumvis flagitiosissimis gerebat se, uti solet cum improbo filio bonus Pater.

Pueros corrigēdi ratio.

In puerilis ætatis educatione singularis eius prudentia & ars enituit quàm maxime. Neminem principiò offendere, vel irritare, sed ad veniam facilis, in levioribus noxis solitus est connivere; ne timida ætas minis territa odisse potius inciperet quàm amare Pœnitentiæ Sacramentum. Immo blanditiis, ac interdum munusculis pueros palpabat, ut alacriores redderentur ad salutaria monita in posterum capessenda.

Mulierū cōfessiones quomodo audiendæ.

Mulierum confessiones ita excipiebat, ut ab illis sese expediret celeritate quanta maxima posset. Dicebat enim in earum familiaritate plus periculi inesse quàm commodi; plusque unam negotii confessario facessere, quàm viros centum. Et si quæ ad tribunal suum accederet non tam peccatis, ut fit, quàm rei familiaris incommodis remedium quæsitura, exemplo Patris nostri B. Philippi, increpitam prius, ad curam traduce-

ducebat animi. Cuicumque peccata confitenti, vel in sollemnioribus festis (in quibus quanta in Templo nostro hominum frequentia sit nemo nescit) non ille festinatam, sed diligentem adcuratamque dabat operam ; ratus præstare confessiones paucas, sed recte obitas excipere, quàm plurimas cum periculo properatas. Quo vero tempore ad formam, quam dicunt, absolutionis impertiendam ventum erat, quum ipsam Jesu-Christi Personam indutum se meminisset, quasi abstractus à sensibus, ac toto contremiscens corpore, vix sanctissima illa verba pronunciare valebat. Pronunciabat tamen, eoque fervore, ac spiritus vehementia, ut ab animis vel obstinatissimis doloris sensa extorqueret. Sollemne item illi erat, priusquam absolveret reos, nomen Jesu perquam suaviter invocare, & capiti eorum manum admovere suam, ut ita ipsos ad dolorem eliciendum acueret inflammaretque. Quod mirifice adsequebatur, ut à multis vi-

Obstinatos homines mirifice flectit Augustinus.

ris gravissimis quibus contigit accepi : mihi enim non licuit esse tam felici, ut in me ipso eximiam adeo hominis experirer virtutem. Juvenes præsertim Scholasticos, prout ardenter diligebat, omni ope adnitebatur ut singularibus obsequiis copularet sibi. Intelligebat nimirum quanta vis in juvenili illa institutione inesset ad reliquum vitæ cursum. Itaque eos monebat, ne lubricas, ancipitesque vias sequerentur obvias juventuti, in quibus consistere sine casu, ac prolapsione non licet. Sed rectum illud ad virtutem iter arriperent, in quo possent initia adolescentiæ suæ integra, & inviolata præstare. Quem verò fructum ex illis jactis seminibus reportaret, eximiæ ipsorum virtutes quos educabat, satis ostenderunt; & præsens ætas palam facit in tot viris, qui eius operâ ad religiosas familias acciti, ad perfectioris vitæ terminos alacriter adhuc contendunt.

Juvenes Scholasticos instituit diligenter.

CAP.

CAP. X.

CONCIONANDI MUNUS ADGREditur.

QUo tempore excipiendarum cõfessionum potestatem adsequutus est Augustinus, eodem, etsi infirma usus valetudine, concionandi munus in se suscepit. Quod non secus, ac si optime valeret (qui eius erat animorum sanandorum egregius ardor) obivit frequentissimè. Nactus porrò à natura ingenium perspicax, acutum, nobile, nunquam tamen adduci potuit ut in concionibus suis populi auram, plaususque oratione captaret. Immò non se ipsum, sed Jesum-Christum, & hunc crucifixum cum Apostolo prædicare desiderans, concionandi genus ardens, vividum, planeque apostolicum sequutus est. Unde relictis subtilibus inanibusque disputationibus, & à vulgi sensu abhorrentibus, Evangelii germanam mentem modeste ac pie exponebat, & per partes interpre-

In concionando aura popularis nullo modo captanda.

pretabatur. Atque ita, ut ex eo propositionem erueret ac stabiliret, quæ multum ad sanandos animos audientium valeret. Quemadmodum fecisse videmus sanctos Patres, & Ecclesiæ Doctores in homiliis, concionibusque, quas quisque ad populum habuit. Johannem præcipue Chrysostomum, os illud aureum, in homiliis habitis ad populum Antiochenum, quibus vix scribi quidquam potest vehementius, & quod magis ad perfectam christianæ eloquentiæ formam accedat. Nec ullo Carùsius verborum fuco utebatur, sed orationis simplicitate quadam, & quasi negligentia, quæ veritatis index esse solet. Quumque eâ esset oris, totiusque corporis conformatione, qua sola Auditores moverentur: vix ad perorationem ventum erat, quam micantibus ore & oculis, ardentique pectore pronunciabat, quum Ædes plangore, ac lamentatione personabat multorum. Si verò de Passione Christi Domini (ut in quadragesima fit, feria quaque sexta) sermo

Concionādi methodum à sanctis Patribus servatā persequitur Carùsius.

inci-

incidisset, mirùm, quo ardore, ac spiritus vehementia gravissimas ille de injuriis Christo illatis querimonias proponeret, & quàm acerbum Auditoribus dolorem inureret peccatorum suorum. At hæc miretur nemo, qui sciat quas pœnas Carùsius, priusquam ad concionandum accederet, in se ultro susciperet. Nam paullo ante concionem, dum reliqui in Æde Patres de more orabant, cubiculo inclusus ipse flagris se, ac usitata acerbitate, sævitiâque cædebat. Porro adolescens erat Augustinus annorum sex supra viginti quum hanc concionandi provinciam adgressus est: Et nihilo tamen secius creberrimas ad populum (ut exigebat operariorum paucitas) habebat conciones. Quin interea de audiendarum confessionum onere, Æditui-que munere remitteret quidquam.

Concionũ fructus.

Volũtaria ante concionẽ corporis afflictatio.

*** *** ***
*** ***
***

CAP.

CAP. XI.

VARIIS MUNERIBUS IN DOMO Barcinonensi fungitur ab anno M. DCC. I. ad an. M. DCC. XXIII.

ANno huius, qui nunc excurrit sæculi primo, P. Valentino Plà domum regente, inter quatuorviros Deputatos Carùsius adlectus est; quum tamen quadriennium dumtaxat in Congregatione exegisset. Quod, vel magnam Sodalium inopiam, vel egregia Carùsii promerita arguat necesse est. Quippe diserte nostris legibus cavetur, ne cuiquam Deputati conferatur munus, qui haud fuerit domi annos decem commoratus. Sed & delùbri custos iterum creatus est. Anno verò M. DCC. IV. muneribus eisdem præficitur, & insuper Sacerdos à confessionibus nostrorum excipiendis nominatur. Præpositus domui tum erat Josephus Fontius primus Illustrissimi Conditoris nostri Ollegarii Monserrati in erigenda

Carùsii munera.

da

da Congregatione commilito, comesque individuus, & dum Ecclesiæ Urgellensis clavum teneret, vicarias eidem partes agens, vir doctissimus, rebusque nostris servandis augendisque intentissimus, cuius grata memoria digna profecto est, quæ in nostris, & posterorum animis perseveret. Ut vero perseveret diutius, eiusdem imaginem breviter pro more meo describam. Natus est Fontius, Borradàni, Diœcesis Cœlsònensis oppido, honestis quidem natalibus. Enituit in adolescente satis mature nitidum, & ardens ingenium jam aliqua prudentia temperatum. Quod unâ cum corporis & oris dignitate magno adjumento fuit, ut in Barcinonensi Gymnasio Philosophicis, & Theologicis studiis dans operam, clareque inter ceteros condiscipulos eminens, à Magistris illis in honoribus academicis præferretur cunctis. Supremâ Theologiæ laureâ donatus, creatusque Sacerdos, quò melius scientiæ sanctorum, rerum humanarum curis omissis, totum se

P. Josephi Fontii, Doctoris Theologi imago adūbrata.

tra-

traderet, in Ollegarii Monserrati, doctrina sanctisque moribus jam abunde clari, amicitiam contulit se. Quæ consuetudine quotidiana sic aucta fuit, nihil ut esset illorum familiaritate conjunctius. Unâ itaque cum Ollegario Congregationis nostræ fundamenta jecit, nullas pro ea amplificanda, bonâque Conditoris existimatione ac dignitate tuenda furentium adversariorum offensiones subire veritus. Adsumpto ad Ecclesiam Urgellensem Ollegario ab intimis consiliis fuit. Ollegarius vero eum Fontio habuit honorem, ut ipsum almæ Ecclesiæ Urgellensis Canonicatu, qui maximi fieri solet, honestare discuperet. At vir Dei, & sui, & rerum terrenarum contemptor, adduci nullo modo potuit ut amplum adeo Sacerdotium admitteret. Sed eo, incredibili animi magnitudine repudiato, & amico cuidam adtributo, ipse nostræ domûs modesto ac parabili victu cultuqne contentus, eam sibi laudem arcessivit quæ vitæ sanctimonia comparatur.

Almæ Ecclesiæ Urgellẽsis Canonicatum repudiat Fontius.

Ita-

Itaque in sacris constitutionibus nostris ad unguem servandis, in excipiendis confessionibus, in concionibus habendis, in divinis exercitationibus obeundis, in discordiis civium componendis, in rebus Congregationis magna prudentia & integritate administrandis totus fuit. Paupertatem, & obedientiam ita coluit, quasi eas Deo immortali vovisset: castimoniam ita amavit, ut vel ipsum nomen exhorresceret libidinis. In humilitate christiana, quæ divinæ humanæque benevolentiæ conciliatrix est, enituit quàm maxime. Sed in Deum opt. max. & servatorem hominum Christum Jesum insignis fuit Josephi religio, & amor. Nec minor in Deiparam Virginem, ac reliquos Cœlites observantia. Quorum insistens vestigiis, quum ad præmia æterna vocaretur, illo quo dudùm morbo laborabat, scilicet effluxione sanguinis, iterum correptus fuit, anno huius sæculi quarto decimo exeunte. Quumque inter morbi illius angores pie animum

Eiusdē virtutes.

heb-

hebdomadas aliquot exercuisset, divinis Sacramentis refectus, ac recreatus V. idus Februar. anni sequentis M. DCC. XV. ætatis suæ nono & sexagesimo mortuus est, magno sui desiderio relicto.

Anno M. DCC. VII. quum ob bella civilia in universa Catalonia cuncta nutarent, ac pessum irent, & iccirco quinque dumtaxat domi nostræ Sacerdotes existerent, qui decennium in eâdem implessent, opus fuit ut Augustino, præter Confessarii, Deputatique munus, aliud committeretur Novitiorum Præfecti. Quod ipse eò accepit libentius, quò maiorem nactus est ocasionem solida illos virtute imbuendi, & ad mores conformandi suos. Quamobrem cœpit eos excolere cura oppidò maxima. Aliis instructos aliquantò, aliis rudes, & imperitos armabat monitis. Idque eâ factitabat prudentiâ, ut qua eos ratione acuebat magis, eâdem sibi consiliaret magis magisque: ut jam in ipso Præfecturæ exordio, Præfectorum Magister audire posset.

Novum munus Carùsii.

Inde

Inde quum insignem Carùsii regendi artem, eximiamque prudentiam, quæ ceterarum moderatrix virtutum est, socii perspicerent, in animum induxerunt domûs Præposituram ipsi committere annos licet undequadraginta dumtaxat nato. Itaque vel ipso reclamante, apertæque adversum se Constitutionis prohibitionem adducente, calendis Augusti ann. M.DCC.X. omnium Patrum sufragiis lege illa solutus, retentis Confessarii, Præfectique tyronum muneribus, Præpositus renunciatus est, dignusque habitus, qui in locum Patris Valentini Plà subrogaretur, paullo ante demortui, eiusdemque desiderium quodammodo leniret. Cuius quidem viri clar. etsi leviter exprimamus effigiem.

Præpositus domui renunciatur Carùsius.

Sanpedòrii prope Manresam natus Valentinus, & ab honestis religiosisque Parentibus summa cura educatus, pueritiam ita transegit, uti ab illo sperari poterat, quem pietas, frugalitas, pudor in eâ aluerat domo. Adolescens factus Barcinonem ve-

P. Valẽtini Plà, Doctoris Theologi effigies exprimitur

venit, graviorum caussa studiorum. Philosophiam, & Theologiam ex sapientissimis Soc. Jesu Professoribus didicit, eo conatu fructuque, ut insignis & Philosophus, & Theologus evaderet. Pietatem interea non minus ardenter amans, ita corpus, & animum suum exercuit, ut utrumque viriliter adversus rerum incursiones indomitum præstaret, voluptatibus & illecebris invictum; summum decus in moderatione, atque virtute reponens. His præsidiis, undetricesimum annum agens, Illustrissimo Conditori nostro Ollegario effingendum se tradidit IV. Idus Decemb. an. M.DC.LXXXIII. Quem Ollegarius iis moribus instituere adgressus est, quibus in omni christiana civilique actione illustris, dignus videretur qui ei in Præfectura Congregationis succederet. Ita enim verò quem Academici Barcinonenses sciolo nescio cui in petitione cathedræ postposuère, gravissimis viris, haud multo post, gravissima oppidò sodalitas prætulit. Domum

In Congregationem cooptatur.

annos

annos quindecim gubernavit prudentia ac suavitate mirabili. In conventibus domesticis ad consulendum rectus fuit, ad sententiam dicendam liber, ad omnia providenda perspicax. Quæ hominis eximiæ dotes, quum latère nequaquam possent, rara erant in Civitate de summis rebus consilia ad quæ non vocaretur, rari delectus virorum quos inter non emineret. Ipse autem ex omnium animis vitiorum radices evellere, peccata in odium adducere, pacem componere, discordiarum caussas funditus tollere, adflictos consolari, egenis subvenire, exteris suisque opem, quoad fieri posset, adferre. Castitas porro, modestia, temperantia, simplicitas, fides, orationis studium, obedientiæ, & paupertatis amor, animi demisio, & quod caput est caritas in Deum, proximosque adeo in P. Valentino enituère, ut nulla temporis diuturnitate in nostrorum hominum oblivionem adduci debeant, sed perpetuò in oculis omnium hærere. Mortem obiit

Eximiæ Valentini dotes, & virtutes.

anno

anno Dom. M. DCC. X. prope sexagenarius vitæ simillimam, scilicet tranquilissimam, fixis in Cælum oculis, Jesuque inter, & Mariæ (quam impense diligebat) amplexus suavissimos. Eo mortuo fleverunt amici, luxit sodalitas, Civitas tota in mœstitia fuit.

Piissime moritur Valentinus.

Igitur in P. Valentini locum Augustinus Carùsius suffectus est. Qualem hic tùm in regimine Congregationis sese exhibuerit nolo ad amusim examinare, neque ob documentorum penuriam possem si vellem. Nihilominus ex sequentium annorum, quibus sæpe domum gubernavit experimento, conjectari fas est qualis fuerit. Quin immo ex sui ipsius cura concludi valet, quam ipse curam haberet ceterorum. Prætterquam quod oportet Præpositus optimus sit, qui humilitate, caritate, omnique genere virtutum, haud secus quàm potestate aliis præstat. Quibus profecto virtutibus, veluti quibusdam subsidiis, munitum hominem difficillima illa requirebant tem-

Optimus Præpositus Carùsius.

tempora, quæ totam Cataloniam, sed hanc præcipue urbem tandiu adflixerunt. Quod caussæ fuit, cur ipse Præfecturam annos quinque obtinuerit contradicente lege. Neque enim electionem novam factam reperi in libro officiorum qui vocatur, nisi anno M. DCC. XV. quo nonis ipsis Martii non illud solum Præpositi, sed alia, quæ gerebat munera eidem rursus demandata sunt. Per id verò temporis egregium juvenem Josephum La-Peyram nobilibus Parentibus, D. Johanne La-Peyra, & D. Maria Cardona, Barcinone prognatum Nerianis Patribus aggregavit. Repudiato amplo Patrimonio, spretisque paternæ domûs deliciis, atque adeo rebus omnibus humanis nuntium remittens XIX. calendas Februarias anni Domini M. DCC. XVI. nomen dedit Congregationi Josephus. Dederat antea operam Philosophiæ in Cœnobio Patrum Dominicanorum, & ita strenuam, ut in arenam descendens unâ cum florentissimo adolescente Josepho de

P.D. Josephus La-Peyra.

Josephus de Mora.

de Mora * studiorum suorum periculum facturus, non modo fortiter animoseque argumentorum vim, & impetum exceperit, rejeceritque; sed satis etiam omnium fecerit expectationi. In sodalitatem adlectus, inventus est sui similis. Nam tanta Patrum cum adprobatione, tantâque munus suum suavitate gerebat, ut omnium sibi amorem consiliaret, & laudem. Ad gravissimum verò officium concionandi vocatus, tùm sanè adparuit quantum eloquentia valeret. Erat in homine præter doctrinæ copiam, eloquendi vis maxima, & verborum delectus singularis: accedebat vox dulcis, & canora, ea actionis gravitate, ac lepore sociata, quæ mirum in modum audientes, qui frequentissimi semper

P. La-Peyræ dicendi præstantia.

* *Hic erat Lliònensis Marchio, Carùsio item nostro ob miram sanctitatem, & doctrinam carissimus in paucis, quo ab annis duobus amisso, præsidium, & dulce decus amiserunt Musæ, Patrem pauperes, civem, atque adeò Parentem optimum Barcinonenses.*

per in Æde stabant eo concionante, alliceret, raperetque. Verum quos uberiores eius ab ingenio, virtute, dicendique præstantia, ac maturiores fructus domum nostram, urbemque hanc universam capere oportebat, mors eos tanquam calamitas aliqua intercepit. Quum enim duos & triginta complesset annos, est mortuus, ac solito funere elatus calendis Septembris ann. Christi M.DCC. XXVII. Hæc igitur clarissimi juvenis Josephi La-Peyræ cooptatio quàm maxime sodalitati nostræ honorifica ad annum primum secundæ Carusii Præfecturæ refferenda est. Multa alia per ea tempora præclare Augustinum fecisse facile existimem: sed de iis, quum non satis liquido constet, sileo de industria.

Immaturus P. La-Peyræ obitus.

Jam verò anno M.DCC.XVIII. pusillum laxamenti nactus est Augustinus. Siquidem III. nonas Martii, quam ipse tot annos administraverat, P. Quirico Saurino æqua Patres deliberatione provinciam tradidére. Saurinus hic vir fuit anti-

P.Quiricus Saurinus creatur Præpositus.

quissimi moris, severitatis lætissimæ, & præstantis admodum, at dissimulatæ virtutis. Nam incredibili fertur fuisse patientia in corporis doloribus perferendis, vel in senecta ipsa, qua eam vitæ tenebat rationem, quam vix quisquam robustus adolescens tenere valuisset. Donec laboribus, vigiliisque fractus, annos agens tres & octoginta repentino quidem, haud tamen inopinato morbo sublatus est IV. Idus Julii an. M.DCC.LVIII. Huic viro sanctissimo acceptam primò referamus oportet Ædem novam, quâ utimur, magnificam. Si quidem anno huius sæculi primo & vicesimo, Præpositus Congregationi quum esset, parvo admodum (ut fertur) quatuor aureorum, ac emendicato subsidio, sed maxima Divinæ Providentiæ fiducia, huius Templi fundamenta jecit. Ipseque (amplissimum spei tantæ præmium persolvente Deo) V. calendas Novembres anno M.DCC. LII. in sollemni eiusdem Ædis Benedictione Missam celebravit incredi-

Præclara P. Saurini patiẽtia, & fortitudo.

Novi Templi, quo utimur, fũdamẽta jacit.

dibili animi voluptate. Jam verò dum Saurinus Congregationis clavum tenebat, Carùsius Confessarii, Deputati, Correctorisque muneribus functus est. Atque hæc duo postrema obivit etiam ab anno M.DCC. XXI. ad annum M.DCC.XXIII. quippe hoc anno hanc nostram domum Augustinus reliquit, & Vicum Ausonæ profectus est, novæ Oratorii Congregationis Institutor, Parensque futurus. Quam ego Vicensis Congregationis erectionem libro exponam qui sequitur.

Alia exequitur munera Carùsius.

DE

DE VITA

VENERABILIS AUGUSTINI CARUSii, DOCTORIS THEOLOGI, CONgregationi Oratorii S. Philippi Nerii Barcinon. octavùm Præpositi, & Congreg. Orat. Vicensis Institutoris.

LIBER ALTER.

CAP. I.

VICUM AUSONÆ PROFICISCITUR Carùsius, novæ Cong. Orat. Inſtitutor futurus.

Auſonæ ſeu Vici descriptio.

VRBS est Ausona (Vicus nunc, quasi antiquæ Ausonæ vicus, nominatur) in eo sita tractu Cataloniæ, qui in septemtriones spectat, media fere pyre-

næum

næum inter & mare. Antiquissima longe est: jamque ante Arabum in Hispaniam invasionem Episcopali Sede decorata. Regio Ausonensis quà ad meridiem, ac septemtrionem protenditur in planitiem exspatiatur: ab oriente verò, & occidente in colles adsurgit clementer. Terra amœna satis est: Cœli vere, & æstate jucunda valde salubrisque temperies. Ventorum quippe à montibus purissimi flatus matutinos vapores, ac nebulas tempestive disjiciunt, solesque reddunt nitidissimos. Quo factum est, ut tametsi à sarracenis vastata, haud funditus tamen Civitas extincta sit: sed potius in dies aucta, & ad priscum ferme splendorem restituta. In eam igitur urbem nobilissimam se contulit Carùsius, novæ Oratorii Congregationis Institutor futurus. Sed priusquam de Augustino illius sodalitatis Institutore, ac veluti Parente dicamus, de fundationis exordio, deque egregio Conditore breviter dicendum est. Fuit is Emmanuel Bojonsius, & Sala Vicen-

Emmanuel Bojonsius, & Sala Congregationis Oratorii Vicensis Cõditor.

cen-

censis, Juris utriusque Doctor, Ecclesiæ Sellentinæ primùm Rector, Illustrissimi deinde Episcopi sui Antonii Paschasii pro Diœcesi tota Vicarius. Cuius in utroque munere obeundo diligenter navatam operam omnino silere religioni mihi est. Parochus ergo illius oppidi non ignobilis, ita ovibus præfuit, ut non solum ceteris Parochis, sed longe superioris etiam ordinis hominibus exemplo esse posset, quemadmodum commissa sibi à Deo animorum regendorum provincia gerenda sit. Ita in suo munere rectè, laudabiliterque tuendo, nulla eum maior sollicitudo torquebat, quam illa, ne quid detrimenti ab infernali lupo oves caperent. Quæ sollicitudo, ac cura eò apud suos gratior, potiorque habebatur, quòd cum eius vita mirabiliter congruebat. Erat enim, ut accepi, suavissimis moribus, eximia pietate, ac singulari modestia vir. Vicarias autem Vicensis Episcopatûs partes sibi creditas ita implevit, ut plus semper apud eum va-

Animi dotes Emmanuelis.

leret

leret lex, quàm gratia, plus item veritas, ac ratio, quàm cuiusvis necessitudinis, & amicitiæ vinculum nomenque. Hic itaque vir clarus, ut non in vita modo, sed in decessu etiam specimen quoddam daret virtutis suæ, de bonis suis postrema voluntate in pium opus destinandis cogitare cœpit. Quare Johannem Rocam, quem, ut Carùsius ipse, velut Parentem alterum reverebatur, de re tanta consuluit. Johannes autem, quum fusis in Cœlum precibus, quid tandem ad Dei gloriam fieri oporteret, aperte intellexisset, auctor fuit Emmanueli, ut dum ipse in vivis ageret, & quàm posset celeriter Oratorii domum Neriani erigeret Ausonæ. Cui Emmanuel, quod alia moliretur, non principiò visus est adhærescere. Sed tamen tanti viri consilio, monitisque permotus de eo persuaderi sibi demum est passus. Jam verò sponte sua currentem, incitavit magnoperè Venerabilis vir Josephus à Sancto Benedicto, Laicus Monasterii B. Mariæ V. Montis-serrati

Johannē Rocam consulit Emmanuel de condēda Congregatione Vicensi.

Consulit Ven. Josephū à S. Benedicto.

rati in Catalonia, ob præclaras virtutes, ac scientiam verè mirabilem scriptis editis patefactam (quum tamen nec grammaticen salutasset à limine) toti Hispaniæ notissimus; quem Emmanuel suum Nestorem habebat in negotiis præsertim gravioribus Dioeceseos, & spiritu regendo Venerabilis M. Mariæ Albertæ à Sancto Dominico, Carmelitæ discalceatæ eiusdem civitatis Vicensis, cui erat à confessionibus. Liquet id ex hispanicis epistolis Ven. Viri ad Emmanuelem datis, quæ unâ cum aliis, quas ad feminam illam sanctissimam, ad Johannem Vendrellium Doctorem Theologum, aliosque dederat Josephus, Madriti anno M. DCC. XLVI. in lucem emissæ sunt. Porrò in epistola, quæ ordine quinta est in illis, quæ ad Vendrellium sunt missæ, hæc leguntur: *Dico tibi, atque adeò in Dei nomine dico, ut erectionem Oratorii S. Philippi & persequare, & urgeas, cunctis obviam difficultatibus eundo, quas communis hostis objecit ad impediendum opus Dei, cet.*

Ven. M. Maria Alberta à S. Dominico Emmanuelis Bojonsii spiritualis filia.

Qua

Qua in epistola suadere pergit vir sanctissimus Johanni Vendrellio, Emmanuelis tùm vita functi ex testamento Curatori, quod sæpe aliàs eidem scripserat Emmanueli: quamquam in litteris, quæ in edito prostant volumine, tantummodo isthæc subobscure indicatur res.

Johannes Vendrellius Doctor Theologus.

Ergo Johanne Roca, & Josepho à S. Benedicto suadentibus, & hortantibus, non dubitavit Emmanuel extemplò Congregationem Oratorii largis dotatam reditibus excitare Ausonæ. At dum eius rei primordia comparabat, Religiosa eiusdem urbis familia ipsis rerum initiis obviam ire non distulit. Animoque usque eò obfirmato, ut non in Civitate modo, sed in Curia item Madritensi aditus ad regiam facultatem omnes interciperet. Quod caussæ fuit, ut prius è vivis excederet, quàm huius difficultatis scopulos superare, remque ad felicem exitum perducere Emmanuel posset. Sublatus enim est XIV. calend. Decemb. ann. M. DCC. XX. molestissimo morbo, sed

mira

Post tētatam frustra Oratorii Ausonē-sis erec-tionem, sāctissi-me mo-ritur Emmanuel.

mira patientia tolerato: cuius patientiæ illustrius in ea gangræna toleranda specimen dedit, quæ illi in dorso ita juxta os sacrum proserpsit, ut plurimum vivæ carnis, & candenti ferro comburi, & præcidi quoque oportuerit. Quin ipsum interea chirurgi, qui pietati ducebant esse crudeles, aut conqueri, aut in eosdem vel hiscere quidem audirent: sed tantum adflicta illi membra, tetrosque dolores offerre, cui jam pridem dicârat bona. Donec dicto nuper die vitæ exitum habuit, ad sensum quidem acerbissimum, sed animo suo, ac Dei oculis perjucundum, & factis denique, ac moribus dignum suis. Verùm quod per se nunquam valuit, adsequutus tandem est per Curatores testamento vocatos. Qui annuente, ac juvante nobilissimo, & sanctissimo Præsule Raymundo Marimonio cum difficultatibus omnibus conflictari non destiterunt, litemque persequi, quam Emmanuel magnis sumptibus sustinuerat Madriti. Donec caussam apud Regem

ip-

ipsum agente Ludovico Belluga de Moncada S. R. E. Cardinali, de quo postea sermo recurret, diploma à Philippo V. impetratum est XIV. cal. Martias an. M. DCC. XXI. quo libera condendæ in urbe Ausona Nerianæ Congregationis facultas Curatoribus dabatur.

Obtinet Cardinalis Belluga regium diploma ad Nerianam Congregationē condendam.

Dum verò hæc, & alia Ausonæ gerebantur, de mittendo illuc Sacerdote aliquo, qui vice, & officio Institutoris fungeretur in domo nostra Barcinonensi. deliberandum erat. Quippe recentissimas à Raymundo Episcopo litteras acceperat Congregatio, quibus viros quosdam, ex omnibus quos sciebat moribus, & doctrina esse præstantes, ad se mitti petebat, ac si fieri ullo modo posset, Auguſtinum Carùsium ob eximias animi dotes Civitati illi notissimum. Quibus litteris tanti Præsulis, & tanti amoris plenis officiique, sic ut oportuit obsequuta est Congregatio, ut polliceretur iturum illuc quantocitius Carùsium, ægrè quantumvis esset eodem caritura. Quod res-

Carùsius per litteras, à Raymūdo Marimonio ad Congregationē Barcinonen. datas requiritur.

responsum, quin immo & postulatum ipsum quanto honori, laudique sit Augustino nemo non videt. Responso accepto mirifice lætatus est vir Illustrissimus, qui singularem Carùsii prudentiam virtutemque dudum cognôrat. Quare tum ipse, tum Emmanuelis Bojonsii Curatores Ivo Casamnes Canonicus, de quo postea redibit sermo, ac RR. Don Josephus Bojonsius fratris filius, Dr. Johannes Combelles, Dr. Johannes Vendrellius, aliique epistolas iterum ad Barcinonensem Congregationem dedére, alteram pridie, postridie alteram calend. Januarias an. M.DCC. XXIII. quibus grates Præposito, & Patribus agebant, & prolixè benevolentiam ipsis deferebant suam. Nonis itaque Januarii eiusdem anni M. DCC. XXIII. Barcinone digreditur Carùsius, non solum domesticis, sed bene multis civibus magno sui desiderio relicto. Et comite Francisco Vitali, Congregationis jam jam condendæ tyrone futuro (qui hæc quæ scribo mecum perhumaniter communu-

Bojonsii ex testamento Curatores.

Auso nā venit Carùsius novæ Congregationis Oratorii Institutor futurus.

municavit) postridie eius diei Vicum Ausonæ incolumis pervenit. Ibi simul ex defatigatione refecit vires, Episcopum adiit, seque ei, & suam qualemcumque operam pollicitus fuit. Antistes autem miris eum amoris,lætitiæque significationibus excepit. Interim, ne quid minus consultè in re adeò gravi decerni videretur, varii inter ipsos sermones habiti sunt; in queis de die aperiendæ Congregationis agebatur; oportebat enim ut fieret id quàm maturrimè. Jam verò dispositis omnibus, communi omnium ordinum lætitia aperta Congregatio est XII. calend. Februar. ann. M. DCC. XXIII. in ædibus Conditoris, elapsis ab eius obitu annis duobus, mensibus item duobus, diebus sex. Fuit eo mane post Templi benedictionem, res divina à Casanne peracta. Datæ etiam ex animo omnipotenti Deo, Deiparæ sine labe conceptæ Ædis tutelari, ac B. P. Philippo gratiæ fuerunt, quorum benignitate res tot difficultatibus impedita bene tandem feliciter-

Excitatur Oratorium Ausonæ in ædibus Cõditoris.

citerque vertisset. Gratiarum actione absoluta, ceterisque rebus ingenti omnium consensu, ac conspiratione peractis remanserunt domi, quotquot fuerant Nerianum institutum amplexi. Qui, ubi se votorum suorum compotes factos vident, fusis præ gaudio lacrimis, Deo iterum, ac Sanctis, majorique spiritus gratulantur ardore. Carùsius præcipue, qui jam erat talibus sociis provinciam suscepturus, in qua sibi præsentissimum Dei numen adfore præsensisset.

CAP. II.

ACTA AUGUSTINI IN CONGREgatione, ac Civitate Ausonensi.

JAm verò Augustino illiusmodi magistratum inituro nihil fuit antiquius, quàm ea jacere novellæ sodalitatis fundamenta, quæ dignum S. Philippo, omnibusque virtutibus ac numeris absolutum ædificium

pos-

possent sustinere. Ac principiò ad domesticam sanciendam disciplinam animum adjiciens, fecit ipse, ut quemadmodum auctoritate, ac munere, ita dictis factisque antecelleret omnibus. Quapropter reliquis quotidie surgere maturius; primus in templo, loco illis ad orandum destinato se sistere; postremus ab eodem discedere; sacrum ad Æditui nutum voluntatemque facere; confessiones mane toto, ac vespere, si opus erat, excipere; reliquam diei partem quá publicis, quá privatis debitam negotiis, Deo semper ante oculos obversante transigere. Atque hæc dum ageret, tanta alacritate gaudioque incedebat, ut socios in recentissimo illo Congregationis fervore spontè incensos, ad maiora inflammaret caritatis officia. Nam facere rectè alumnos suos, rector optimus faciendo, docet. Quumque domesticos non modo, sed exteros etiam tantus splendor alliceret, factum est, ut anno ipso M. DCC. XXIII. duo ad Carùsium candidati

Vitæ ratio ab Augustino novæ Congregat. Institutore servata.

venirent Nerianis moribus, legibusque imbuendi. Primus fuit Dominicus Collellius, qui hæc dum scribo in eâdem domo cum laude perseverat: alter Ivo Casannes, almæ Ecclesiæ eiusdem Civitatis Canonicus, & Maior delùbri Custos, humani, divinique juris peritissimus; cuius dum Vicarias ageret in illa Diœcesi partes, prudentia, & regendi ars admirationi fuit; quemadmodum humilitas eius, ac religio dùm esset Nerianus. Fuit namque candidissimis moribus, mansuetudine comitateque mirabili, caritate in proximos egregia, ac tanto in Deum amore, quanto par est eum esse, qui ipsius Dei gratia nuntium rebus humanis remiserit. At gravitas eiusdem, in custodia disciplinæ severitas, æquitas animi, fortitudo, constantia, & in rebus gerendis prudentia, toto Præposituræ suæ tempore, adsiduo nempe quindecim annorum spatio, enituit quàm maxime; ut etiamnum, qui oculis vidit, & demiratus est testificatur ac prædicat Josephus

P. Dominicus Collellius.

P. Ivo Casañes Canonicus Vicensis, & Maior delùbri Custos.

Salè-

Salèta spectatæ integritatis Sacerdos, eidemque Vicensi Congregationi in præsentia Præpositus. Novis hisce sodalibus Oratorii cœpit fervere opus: tum enim Carùsius post multas difficultates, multamque item altercationem sin minus Præpositus, at Rector domûs, & Institutor declaratus est. Tum etiam habitæ frequentius privatæ conciones sunt ad optimum domûs regimen, munera distributa, firmata disciplina, instituta omnia, quoad facultas ferret, adcuratè servata. Siquidem Augustinus, qua erat prudentia, singula à singulis officia requirebat, quæ apta viribus, & captui singulorum viderentur esse. Et ita eorum profectum explorabat, ut semper intra potius, quàm extra vires probatio esset. Unde nulla inter eos expostulatio, sed mira omnium erat, & invicem, & cum Carùsio animorum consensio. Atque ex hoc veluti fonte cetera ad proximorum utilitatem largè manabant. Quum enim pro sua virili suas quisque christianæ cari-

P. Josephus Salèta Orator. Vicē. Præpositus.

Carùsii in gubernādo prudentia.

Sedulitas eius, & sociorū in proximis juvandis.

tatis, & officii partes impleret, magnus ad eam domum & de plebe, & nobilium fieri concursus cœpit. Quinimmo incolæ pagorum, qui ad pyrenæum pertinent, rudes illi quidem, sed mites tamen docilesque natura, exciti fama rerum, quæ à Carùsio gerebantur, non dubitabant audiendi hominis, consiliique petendi caussa, Ausonam versùs etiam diei unius iter capessere. Ubi autem ad Ædem Oratorii venissent, Pœnitentiæ Sacramentum poscebant supplices, & rationem simul, ac viam confessionis totius vitæ bene, ac utiliter peragendæ. Quorum piæ voluntati sátis breviore quoad posset compendio faciebat Carùsius; eosdemque comitate illa sua, & paternæ benevolentiæ significatione alliciebat ad arcana pectoris sibi nudanda. Hinc mirabiles adeò fiebant quotidie vitæ morumque conversiones, ut verè, atque ex animi sui sententia familiaribus suis dicere Carùsius posset, in illius Congregationis erectione multorum salutem

Mõtàni ad Augustinũ cõfluunt

Dictum Carùsii.

tem à Deo fuisse collocatam.

Nec domi solum, sed foris proximorum solatio consulebat bonoque. Jam simultates civium dirimebat, restinguebat odia, sedabat invidias, ac controversias componebat. Vinctos in carcere, ægrotosque quá in privatis ædibus, quá in publico nosocomio detentos invisebat, & blandis eos suavissimisque adhortationibus incitabat ad salutem animi quærendam. Nec defuit qui & corporis simul, & animi salutem eius ope impetraret. Femina virgo in Civitate erat Cæcilia nomine; quæ novem jam menses non surgebat è lecto, & licet parce admodum viveret, facie erat adeo vegeta robustâque, ut omnes mirarentur. Huic ergo die quodam per feminam alteram ipsum requirenti imperasse fertur nomine Jesu-Christi, ut postridie ad Ædem maximam pergeret sacrum auditura, & insequenti die ad Templum Oratorii. Paruit illa Carùsio, & mira dictu res; nam valens Templum petiit, magno omnium

Eventus mirabilis.

nium stupore , qui viderant eam antea ægrè insistentem vestigio, etsi baculo nixam. Sed est aliud, quod non minus mirère. Eadem quippe virgo , quo die Oratorium sub vesperam advenit , jussa est à Carùsio in Templo januis clausis manere. Quod ubi sensit ipsa, tantos motus, ac strepitus ciere cœpta est , ut domus ea tota videretur corruere. Sacras tum Deo horas persolvebat Carùsius ; quas tamen nec tantillum maturat, non nescius quas artes Dæmon habeat, à quo illam divexari cognôrat. Descendit tandem , & super energumenam recitatis ritè precibus domum eam dimisit. Idque ipsum dies aliquot fecit, donec impetravit , ut in corpore, illa sano mentem sanam haberet. Quam deinceps conservavit. Fuit namque maiorem in modum solitudinis amans, & precationibus dedita , præstantique adeò virtute , ut Carùsio annuente quotidie sumeret Eucharistiam. Quod mihi per litteras narravit Franciscus Vitalis il-
lius

lius Congregationis Laicus, oculatusque testis. Qui etiam virtutem Augustini divinam in se ipso fuit expertus. Laborabat enim interdum ardore hepatis tam acerbo, ut nullis restingui, aut verò mitigari remediis posset. Sed quum morbi genus die quodam exponeret Carùsio, atque hic partem corporis ægram signo crucis signaret, levatus morbo fuit; atque ita levatus, ut nunquam eodem posthac correptus sit.

Franciscus Vitalis Vicēsis Congregationis Laicus ardore hepatis mirabiliter liberatur.

Interea temporis, ne quid ad novi operis perfectionem deesset, visum fuit Carùsio, & novis Patribus erectionem Oratorii nunciare Pontifici, ab eodemque diploma postulare, quo nova fulciretur sodalitas, ac firmaretur magis. Ecclesiam tum regebat Innocentius XIII. qui prout erat egregie pius, norâtque probè Congregationis instituta, non modo confirmationem Apostolica indulsit auctoritate, sed eam quoque indulgentiarum concesione ornavit ditavitque. Extant de eo Apostolicæ litteræ ipso anno M. DCC. XXIII. sep-

Innocētius XIII Apostolicis litteris Vicensem Congregationē cōfirmat

septimo nonas Decembres datæ. Hinc quum novæ Congregationis bonus odor, & Augustini Carùsii fama manaret quotidie latius, eorum quoque qui ad novos operarios venirent numerus maiorem in modum crevit. Quamobrem, quum eos minimè vetus Ædes valeret capere, ac usui nova esse posset, totam Congregationem ex ædibus Conditoris ad novum Templum, ædesque transferre citò visum est. Itaque VII. calen. Junias an. M.DCC.XXV. post recitatas in Æde maxima vespertinas ritè preces, insigni pompa, ac cerimonia instituta supplicatio est. Perillustre Canonicorum, & Sacerdotum inferiorum Collegium, Neriani Patres, Sodalitates cunctæ, lectusque nobilitatis flos, suo quisque ordine præibant. Sequebatur augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod Pater, & Canonicus Ivo Casannes deferebat, eius latera cum umbella tenentibus nobilissimis Urbis Decurionibus. Ita per compita, vicosque undique aulæis ornatos,

Congregatio ad novum Templũ ædesque transfertur insigni pōpa.

sim-

simphoniacorum choro suaviter præcinente, magna populi frequentia comitante, ac strepitu fistularum militari plaudente ad novam Ædem ventum est. Ubi usitato gratiarum carmine, Omnipotenti Deo, Divinæ Matri, ac D. Philippo grates laudesque, ut æquum erat, datæ sunt. Sic eo die. Postridie, qui quidem dies S. Philippo Nerio sacer erat, sollemni item Missæ Sacrificio, erudita oratione à Johanne Paullo Senmartino Canonico habita de laudibus B. Patris, ac fausta omnium acclamatione celebratus est. Hæc inter haud facile dictu quantis abundaret, incederetque lætitiis Augustinus. Ceterum quia natura ita comparatum est, ut vix sine obtrectatione laudem quis inveniat; tantam illarum rerum invidiam subiit ille, ut de eius fama à nonnullis detraheretur palàm. Ex his unus Sacerdos maledictis illum incesere non verebatur, & calumnias objicere, quibus ipsius facta in odium offensionemque Civitatis incurrerent. Ita ubi

Johānes Paullus Senmartinus Canonicus.

Cōtumeliis afficitur Carùsius.

ubi semel à recto deerratum est, in præceps pervenitur. Sed hæc, & alia, uti ab iracundia, ac furore profecta apud nobiles cives minime valuerunt. Nec illum permovebant, qui quod Deo unicè placeret statuerat exequi, etsi capiendos sibi esse sciret inimicos omnes homines. Nihilominus habuit tantos inimicorum impetus in erectione Oratorii illius sustinere, ut dicere soleret, historiam scribi de eo posse, quæ multas impleret paginas. At hæc nobis haud fusius persequi licet ad alia properantibus. Contra, Præsul Ausonensis, quum cerneret tam insignes fructus ab Augustino, ac reliquis operariis in vinea Domini percipi, summo gaudio perfundebatur.

Vē. Præsul Raymundus Marimonius.

Fuit namque Raymundus Marimonius ex eorum numero, qui quum ad Pontificatum per honoris, & sanctitatis gradus pervenerint, eundem statuunt ad veram ecclesiasticæ disciplinæ normam administrare. Quare velut alter Ambrosius, acerrimus ecclesiasticæ immunitatis vindex,

dex, Pater pauperum, Antistitum exemplar audiit; atque adeò sanctus Præsul, & à tanto Rege, quantus fuit in Hispania Philippus V. Ergo Raymundus * pro eo quo erat erga Deum, atque oves sibi commissas amore, non solum laboribus vigiliisque nostrorum delectabatur, sed animos iisdem faciebat, ut rem urgerent, quam alacriter adeò susceperant. Carùsium potissimè in intimos animi sui sensus insinuavit, mirisque obsequii, & benevolentiæ signis prosequutus est. Tametsi enim totus esset aptus ex sese, nullam tamen maioris rem momenti peragebat inconsulto Carùsio. Quod Præsulis exemplum quum civibus placeret suis, tum uno ore omnes de Carùsio omnia bona dicere, & laudare non cessabant fortunas suas, quod

Ausonẽtiũ studia erga Carùsiũ.

* *Plura de V. Marimonio scire qui volet, vitam eius adeat hispanico scriptam sermone à Viro clar. Antonio Codornivio de Soc. J. multis aliis etiam elegantissimis scriptis editis hinc usque ad sidera noto.*

quod tali virum virtute talis domûs Institutorem haberent. Ne multa: sic vita fuit Augustino annorum quatuor, mensiumque trium intervallo quo permansit Ausonæ; in novæ Congregationis curam ardentius semper incumbere; de proximorum salute mire sollicitum esse; cunctis tum domi, tum foris liberaliter servire; insectatores non modo ex profanis hominibus, sed Deo etiam dicatis facilè perferre ac pati; omnibus denique in Christi gratiam omnia fieri. Quibus rebus adsequebatur, ut nulla paullò maioris momenti res sine eo gereretur, magnaque eius esset apud omnem Civitatem auctoritas, & maxima apud finitimos populos laus, nomenque nobile. Verùm quò maior cunctorum erat erga P. Carùsium propensio, & observantia, eò molestius, ægriusque ferenda erat illius ab Ausona digressio. Mense etenim Aprili anni M. DCC. XXVII. rebus antea compositis, & Præposito domui relicto spectatæ virtutis, atque doctri-

Ausonâ digreditur maximo omniũ mœrore Augustinus

næ

næ viro Ivone Casanne rediit Barcinonem. Porrò in digressu obortæ sociis non modo, sed & Ausonensibus lacrimæ facilè prodiderunt, quantopere omnes Augustinum diligerent. Quorum iste officiosæ voluntati gratias egit habuitque, negans se quidquam desiderare aliud, nisi maiores eorum in virtutis via sanctitatisque progressus.

CAP. III.

BARCINONEM REMIGRAT, PRÆpositus domui huic futurus.

MEnse Aprili exeunte anni M. DCC.XXVII. magno omnium dolore urbe Ausona profectus, Barcinonem venit in amplexus suorum, qui incredibilem ex solo ipsius intuitu ceperunt animo voluptatem. Præcipuè Paullus Tarrassa, qui absente eo III. scilicet id. Nov. an. M. DCC. XXIV. tirocinium posuerat. Paullus hic quum totâ Cataloniâ, ipso hostium terrore, strepituque armorum omnia turbarentur, constantis in-

P. Paullus Tarrassa.

infractique sæpe animi magnitudinem ostenderat. Sed hanc Nerianus jam factus, orandi adsiduitate, mirifico pietatis sensu, teterrimæ ægritudinis perpessione diuturna, atque iræ motuum, quibus valdè suapte naturâ incitabatur, diligenti cohibitione multò reddidit gloriosiorem. Donec post annos undetriginta in Congregatione laudabiliter exactos, magna pietatis opinione rebus humanis excessit prid. eid. Nov. an. M.DCC.LIII. Igitur Carùsii adventu vehementer lætati sunt nostri homines. Absolverat tum domûs Præfecturam Franciscus Figueres, suavissimis moribus, & quàm urbanâ, generosâque indole vir, atque ubi res vigiliam exigeret sanè exsomnis, providens, & agendi sciens. Quocirca diebus Augustino aliquot ad quietem datis, pridie calen. maias Præpositus renuntiatur. Quo in munere quum antea nihil unquam vulgare, & exiguum animo agitasset, tum enim verò maius quiddam illustriusque in Dei unius glo-

P. Franciscus Figueres.

Præpositus tertiùm creatur Carùsius.

gloriam molitus est. Cœptum fuerat priusquam ipse Ausonam petiisset novum Templum quo utimur. At lentè admodum procedens, quòd pecunia Patribus vel nulla erat, vel certè tenuissima, vix illi remigranti ostendere aliud potuit nisi alta fundamenta. Quo ipse permotus, & divinæ fiducia providentiæ munitus, sicut olim Romæ Parens noster, ac Conditor D. Philippus, fabricam illam urgere apud se statuit, etsi nulla domi præsto esset pecunia. Caussæ fuit, quòd eo ipso die Sacrum faciens, & Evangelium legens, in quo B. Petrus verbo Domini laxans in mare rete magnam dicitur copiam piscationis fecisse, ad id motum interius, impulsumque se senserit. Nec sanè spei tantæ, piisque defuit votis Dei summa benignitas. Nam ex quo operi manus admoveri cœperunt, multi fuere Barcinonenses cives, qui pro sua in Deum pietate, & egregia in Carùsium propensione largâ eum, & ultro collatâ juverunt stipe. Hos inter nobilis

Eius de nova Ædе exædificãda sollicitudo.

opti-

optimusque vir in primis Bonaventura Milànsius unâ cum reliquis in commercio sociis insigni liberalitate multum pecuniæ in ædificium insumpsit. Nam quotiescumque quo fabris, aliisve rebus satisfieret argentum deerat, id sibi Carùsius negotii putabat solum dari, in domum ut se Milansianam conferret. Insignem quoque nactus fuit in hac re adjutorem Josephum Smandiam Barcinonensem, illum ipsum, quem die quodam Carùsius solo manuum attactu acutissimis quibus dudùm torquebatur doloribus fertur liberasse. Alios possem heic percensere quos identidem munificos expertus est. Sed de illis alio loco dicemus. Hoc opus servet formam suam. Omnium igitur munificentia factum est, ut quum totos tres annos Præfecturæ Carùsii vix in exstructione cessatum esset, circuli parietes, qui ad Aram maximam pertinet ad absidem usque erecti cernerentur.

D. Bonaventura Milànsius.

D. Josephus Smandia.

CAP.

CAP. IV.

DE PROFECTIONE MADRITENSI.

LEntè nimium, nec pro voto adhuc sententiaque Carùsii fabrica procedebat. Quamobrem quum an. M.DCC.XXXIII. postridie calen. maias domûs ei Præfectura prorogaretur, altiora longè in gratiam novi Templi mente volvere cœpit. Quadringentos aureos, quos ex regio erat ærario recepturus Petrus Bertrandus, nobilis nostro sæculo Architectus, in novam, quam ipse dirigebat fabricam impendendos donaverat Carùsio. Hos iste unâ cum anniversaria donatione à catholico Rege impetrandi non animum despondit. Opportunè tùm aderat Madriti Didacus Astorga, & Cespedes Archipræsul Toletanus, & S. R. E. Cardinalis, cui haud multis retro annis Barcinonensi Episcopo carissimus in paucis fuerat Augustinus. Vir ille haudquaquam à me silendus, omnia incrementa sua sibi debuit.

Petrus Bertrandus Architectus.

Didacus Astorga Archiepis. Toletanus, & S. R. E. Cardinalis.

buit. Nec enim natalium splendore, sed sola virtutis, & ingenii commendatione, egregio nescio quo facinore declarata, in locum honoris, ac dignitatis summo fastigio proximum venit. Nam multis antea honoribus functus, quum probitatem, & diligentiam in omnibus suam probasset, Regi Catholico Philippo V. à quo impense diligebatur ab intimis consiliis fuit. Eoque postulante, Archipræsul jam Toletanus, in sacrum Cardinalium collegium cooptatus est. Scilicet, ut tantum sapientiæ lumen non uni dumtaxat Reipublicæ christianæ parti colluceret, sed universæ demùm Ecclesiæ. Tanti itaque viri amicitia fretus Carùsius, sed divina præsertim ope subnixus consilium cepit eum adeundi, rogandique ne gravaretur in caussa oppidò justissima, cuiusmodi erat domum extruere Regum Regi patronum agere, & libellum suplicem, quo regia pietas, ac munificentia ad pium opus vocaretur, precibus etiam juvare suis. Rem ergo cum Patribus com-

communicat: & negotium adeò difficile per semetipsum, ait, tentare velle, proindeque Mantuam Carpetanorum quamprimum proficisci. Patres, qui probè sciebant quàm ille acceptus esset Cardinali, quantâque iste apud catholicos Reges Philippum, & Elisabetham valeret gratia, annuerunt extemplò. Jam ille viaticum ad profectionem parat Dei caussa susceptam, & comite Nicolao Berenguerio Bergensi, eiusdem Congregationis Laico, Barcinone digreditur VIII. calen. Novembres anno M.DCC.XXXIII.

Madritum proficiscitur Carùsius

Vita eius quotidiana in itinere (quemadmodum à socio accepi candidissimo homine, egregieque, ut omnes norunt, pio) eadem quæ in domo, quoad facultas ferret. Itaque certas horas meditationi dare; nonnihil spiritualium librorum lectioni temporis conferre; Sacrum, ubi se dabat opportunitas, facere; sese crebrò colligere; facile socio, atque libenter obsequi; eidem semper hilarem se, jucundum, gratum, li-

Itineris ratio.

beralem præbere. Ita enim verò, Deo benè juvante, perventum est Madritum. Ibi Carùsius nulla mora Cardinalem conveniens, miris amoris lætitiæque signis exceptus fuit. Quin jussus ab eo, quoad regrederetur, apud se diversari. Sciebat nimirum vir Eminentissimus magnum se aulæ suæ decus adlaturum, si tali hominem virtute, atque prudentia in ea retineret. Cui Augustinus grates maximas egit, perfecitque profectò, ut minime virum Principem pœniteret consilii sui. Cœpta est inter eos tractari res: & Didacus confestim operam suam pollicitus fuit. Immo, quòd probè magna negotia magnis egere adjutoribus sciret, patronum eiusdem caussæ fecit Gasparem Molinam Augustinianum, Episcopum quoque antea Barcinonensem, tùm Malacitanum, & supremi Castellæ Senatus Præsidem, posteaque S. R. E. Cardinalem. Hos viros nactus Carùsius in spem venit fore, ut cito adsequeretur, quod eosdem velle seriò tam il-

Gaspar Molina Cardinalis.

li certum erat, quàm quod certissimum. Nec dubium, quin res benè vertisset, si quæ benè secundum humanã prudentiam constabilitæ erant spes, haud inanes prorsus, fallacesque derepente evasissent. Nam celerius quàm opus fuerat, rebus humanis Didacum Astorgam sua ingentia in cœlum merita evocarunt. Siquidem decurso ab adventu Carùsii tribus mensibus, & diebus aliquot extremum diem clausit Cardinalis. Quippe obiit IV. Idus Februar. an. M. DCC. XXXIV. Quæ mortis celeritas eô luctuosior existimari debuit, quod nondum ei licuit rem eô loci statuere, quo facile posset fœlicem reperire exitum. Nihilosecius, ut erat animi Carùsius maximis etiam difficultatibus obluctantis, negotium urgere perrexit, fortunamque experiri. Quare tres adhuc menses Madriti, domique itidem vita functi Cardinalis, summa heredis eius liberalitate permansit. Nullum verò inter hos dies pro caussa sua lapidem non movit. Sed quoniam

Inoportuna Em. Didaci Astorgæ mors.

niam ita se mores habent, ut qui se ipso tantum, non pecunia, quæ vi sua perrumpit omnia, nec viro Principe fretus adire ad regiam aulam velit nugas agat, nihil proinde toto illo tempore, totisque suis viribus adsequutus fuit. Quod ille, qui ex Dei nutu pendebat ita statuentis, æquissimo animo pertulit, nec quidquam à sapientis dignitate alienum admisit. Immo verò Barcinonem re infecta statuit remigrare. Prius autem quàm Madrito egrederetur res ei contigit, quæ digna admiratione, ac memoratu est. Die quodam ubi mane surrexit, & comitem offendit: „ Quid hoc est, ait, Nicolàe, quod „ hac nocte videre mihi, ut reor, „ per somnium visus sum! amicum „ nempe veterem, & hac ipsa nocte „ demortuum Barcinone à me enixe „ petentem, ut Bullæ cruciatæ stationem, quam dicunt, pro eo obiremus! Quid vero? somniis haud „ credendum est, sed deprecemur „ tamen. Miratur ad hæc primò Nicolaus. Admiratione deinde in ex-

Desperato negotio, Barcinonē remigrare statuit Augustinus.

pec-

pectationem versa , rem notat adcurate. Paucis verò interjectis diebus, ecce Barcinonensis tabellarius ipsius pro quo oraverant mortem nuncians. Temporibus, ac rebus inter se comparatis, omnia cum ea prædictione congruere comperta sunt. Tum dubium Nicolao non fuit, quin mortem eam Carùsius cognovisset aut per amici manes, aut planè divinitus. Sed è diverticulo in viam. Quam Augustinus, quum aliquandiu, ut diximus, fortunæ suæ periculum fecisset, caderentque omnia teterrimè Barcinonem versùs tandem capessivit. Quò justis itineribus incolumis pervenit ipso B. P. Philippi pervigilio. Res mira.

CAP. V.

BARCINONEM REVERSUS AD annum usque M.DCC.XLII. Congregationem nostram regit, & factis, scriptisque illustrat.

ERgo quum sex admodum menses abfuisset Carùsius, re infec-

fecta Barcinonem rediit. Ubi difficile dictu est, quanta animi oblectatione sit receptus à suis. Quibus ipse dùm multa de itinere, ac negotio narrabat, ea vultûs hilaritate de adversis rebus disserebat, ac si omnino ex sententia, ac prosperè cessissent. Quo facto demonstrabat quàm ipse in divinam esset voluntatem intentus, suamque in illa protinus repositam haberet. Paucis verò post adventum suum diebus non destitit Carùsius ex liberalitate quorumdam ædificium urgere. Sed cura ipsi præcipua fuit salus animorum. Itaque adsiduis de divinis rebus sermonibus ad se accedentes imbuebat: studiosam maximè litterarum juventutem, ex qua pendere dicebat salutem populorum. Quare adolescentes eos non modo ad Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentationem, cœlestium meditationem, crebramque librorum spiritualium lectionem hortabatur, sed divina etiam contemplandi methodum docebat. Incitabatque

Litterarum studiosos adolescẽtes divinam scientiā docet.

que proinde ipsos, ut libellum ex multis qui circumferuntur de re eâ tractantem, compararent sibi. Quin ipse pauperioribus quos nosset, Villacastinii opusculum dono dabat. Conciones tùm Carùsius, tùm alii Sacerdotes festis diebus habebant tanta hominum frequentia, ut vix capere eos Ædes antiqua posset, utque egregius operæ fructus Dei ope constaret. Illas namque sollemne semper nostris fuit non ad vulgi oblectationem, atque plausum referre, sed ad morum emendationem, ac laudem Dei unius. Nec concionibus solum, sed aliis item rebus, facem Carùsio præferente, in vinea Domini excolenda laborabant. Confessiones, quæ in dies augebantur excipiebant alacriter. Sacram communionem, qui per Sacerdotium poterant sedulò ministrabant. Ægrotis sacrum viaticum sumpturis rogati præstò aderant: nec eos donec animam egissent, vel meliuscule haberent, deserebant pro more. Ægros in nosocomio frequenter invisebant.

Carùsii, & reliquorum Patrum in Proximis juvandis alacritas.

Hos

P. Antonius Manènt, Dr. Theologus.

Hos inter Antonius Manèntius, Dr. Theologus vix ullam elabi sinebat diem, qua non aliqua in eo impressa relinqueret ardentis suæ caritatis vestigia. Donec per hæc tempora, XVI. nimirum calend. Decemb. an. M. DCC. XXXV. & huius egregiæ caritatis, & ceterarum quibus excelluit virtutum, post accepta Divina Sacramenta, piissima morte præmium tulit. Sed Augustinus præsertim promptus, ac libens ea ibi exequebatur munia, quæ plurimi velut abjecta minimeque speciosa fastidiunt. Ubi enim pueros, puellasque videret, tandiu morabatur, dum fidei elementa cognitu necessaria ad captum eorum explanabat, sæpius iterando. Grandiores verò ad cœlestem iram per confessionem noxarum avertendam, divinamque pictatem implorandam hortabatur vehementius. Qua hominis religione, immo vel solo aspectu sanctimoniam spirante permoti ægri quamplures Sacramentum Pœnitentiæ requirebant ab ipso. Ex his hispanus miles fuit,

qui

qui annos septem supra triginta in flagitiorum cœno turpissime jacebat. Sæpenumero is utrumque usurpaverat, & confessionis, & Eucharistiæ Sacramentum, sed ad perniciem suam. Nunquam enim, ut aiebat, accesserat paratus; tametsi quater desperata omnino à Medicis salute Divinam Hostiam pro Viatico ceperit. Nec bis etiam sacro oleo delibutus, nec sæpè in bello ad extrema delapsus adduci ullo modo quiverat, ut ritè peccata confiteretur sua, aut saltem animo detestaretur. Hic igitur in nosocomio versabatur morbo quodam oppressus, sed æternæ salutis prorsus tamen oblitus. At vix Carùsium vidit (aderat fortè eo die Augustinus) adeò modesta facie pietatem præ se ferente, quum se (fatebatur id ipse postea) continere non potuit, quin subito clamaret, *O! Pater! confiteri cito peccata mea volo.* Cui Augustinus, quod ipse immorari diutius non posset, comitem suum misit. Accessit ergo socius (vivit hic hodieque,

Modestissima Augustini facie casu inspecta, è cœno flagitiorũ hispanus miles emergit.

&

& hæc omnia testatur) & ab ægro totius anteactæ vitæ confessionem excepit, eo factam dolore, odioque peccati, ut Pater sane quàm ingenti solatio afficeretur, nec dubitaret, quin Peccator usque eo flagitiorum pœnitens, post quintum ab eo diem mortuus divinam esset clementiam consequutus. Nec spiritualem modo, ut in milite vidimus, sed & temporalem vitam per hæc eadem tempora puellæ periclitanti dedisse existimatur. Filiam habebat puellam adhuc Franciscus Aparicius vita nuper defunctus, Senator in Catalonia regius, magnumque in Jurisprudentia nomen, insidiosa adeò jactatam ægrotatione, ut ea peritissimorum judicio ad ultimum vitæ discrimen venisse crederetur. Invisit illam Carùsius; & eiusdem, adflictique perquàm Patris optimè de domo nostra meriti, sibique summè cari è vestigio misertus, enixas pro puellà ad Deum preces fudit. Quid postea? melius habuit ægrota, & vivit me scribente, rediviva etiamnum à mul-

Franciscus Aparicius Senator in Catalonia regius.

tis

tis nuncupata. Quam mirabilem filiæ suæ curationem, ut & similem aliam Carùsii precibus adtributam idem Aparicius enarravit mihi paullo antequam rebus humanis excederet. Curationes miræ Carùsii precibus adtributæ.

Dum verò hæc Barcinone ab illo gerebantur, difficultates nescio quæ negotium aliquod Vicensis Oratorii Patribus facescebant. Quæ ipsum adduxerunt, ut Vicum Ausonæ petendum sibi esse duceret, quin & profectionem incommodo etiam maturaret suo. At eius adventu tempestas illicò omnis sedata est, gratiorque serenitas illorum animis illuxit. Quod itidem accidit, quotiescumque opus fuit (fuit autem non semel) ut illius bono Congregationis remigraret illùc. Qua ipse de caussa libellum absolvit patrio scriptum sermone, cui dudùm sedulam operam navabat, quemque *Directorium practicum in sacras D. Philippi Nerii Constitutiones* inscripserat. Hoc enim libello facile dubiis quibuslibet, quæ in ea suboriri Congregatione, atque in hac Vicensē Congregationē invisit. Egregiū Carùsii opus.

etiam

etiam nostra progressu temporis possent consultum sperabat iri. Quod ipse indicavit in brevissima instructione, quam pro optimo illius domûs regimine ibidem degens composuit. Cuius in ultima periodo:
„ Hæc, inquit, habui vobis stabilire
„ in præsentia, tanquam principia
„ quædam, ac fundamenta perfectæ
„ disciplinæ. Cetera enim in *Direc-*
„ *torio practico* dicentur, quod Dei
„ nomine incœptum, ut ad umbili-
„ cum in sui item gloriam perduca-
„ tur impetrate quæso Patres mei
„ dilectissimi. cet. Quam instructionem Carùsii manu exaratam, subscriptamque Ausonâ ad me misit unâ cum humanissimis litteris vir admodum religiosus Josephus Sabatèsius illius Congregationis Sacerdos, & venerabilis Patris cultor eximius. *Directorium* illud in duas partes tribuitur: unaquæque in *capita* multa, & *periodos*. Prima pars ea omnia complectitur, quæ ad rem divinam faciendam, ac reliqua munia ecclesiastica rite obeunda collineant. Pars alte-

P. Josephus Sabatès Orator. Vicens. Presbyt.

altera de œconomia domûs pertractat, optimoque eius regimine. Hoc opus mirabili animi ardore Auctor concinnavit; ac propterea ut ceterorum è Congregatione hominum studia ad easdem exercitationes acueret, quas magno sibi usui fuisse cognoverat. Saluberrima enim præcepta continet, maximeque admodum utiles observationes, ex his collectas, quæ partim ipse experiundo didicerat, partim ex adcurata scriptorum asceticorum lectione perceperat, ac longa meditatione. Sed inculcat præsertim quid nos de sacris nostris Institutis sentire oporteat. Quod iis potissimùm ad ea unde spiritalis profectus noster fluit suscipienda excitemur, prosequenda juvemur, confirmemurque perficienda. Atque hæc egregia, ac singularis doctrina eò gratior ac probabilior cuicumque videri debet, quòd eam Carùsius non solum litteris, verùm sit etiam moribus persequutus. Dum verò ille re, & scripto Dei cultum augere, omnesque divino amo-

amore pergit inflammare, novis à Domino gaudiis cumulatur, accessione videlicet sociorum, & viri cujusdam munificentissimi. Tres siquidem optimæ spei adolescentes (quorum duo * superstites sunt scribente me) Deo inserviendi desiderio perculsi ad eum eo consilio accessère, ut Congregationi nomen darent. Quos quum benigne, & caritate plusquam paterna excepisset, fecit ut simul omnes III. calend. Novemb. an. M.DCC.XXX.IX. Patribus aggregarentur. Uti haud multo antea eisdem adjunxerat Franciscum Xaverium Fonsecam Doctorem Theologum, variis jam Sacerdotiis muneribus-

Tres eodem die Patribus socios adjũgit.

P. Franciscus Xaver. Fonseca Doctor Theologus.

---

* *Horum socius P. Nicolàus Saurinus, alterius Saurini consanguineus, homo apertus ac simplex, grato animo, & moribus ingenuis ac Presbytero Neriano dignis, pestifera oppressus febri, quam ex nimia in audiendis confessionibus, divinisque laudibus canendis defatigatione forsan contraxerat, viribus licet, atque ætate robustus cessit è vita VIII. Idus Mart. anno M. DCC. LX. quum jam dies appeteret.*

ribusque egregie functum. Cuius mentione, si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. Quandoquidem magna Francisci cooptatione huic sodalitati decoris ornamentique facta est accessio: quippe cui eius opera, & singularis theologicarrum rerum, earum præcipue quæ ad mores adtinent doctrina, maximo pluribus in negotiis usui fuit. Uti etiam universæ Civitati. Nihil enim erat difficile, nihil arduum, cuius in consultationem Fonseca non veniret. Sed tantum nostris bonum non licuit esse admodum diuturnum, nam vix expleto in Congregatione decennio, pridie scilicet calend. Decemb. an. M. DCC. XLVI. bonorum omnium mœrore derepente decessit.

Vir autem ille, quem nuper munificentissimum nominavi, fuit Paullus Martinus Barcinonensis, eximii in pauperes Christi amoris famâ præclarus. Is ex hac Urbe adhuc adolescens Lusitaniam migraverat à fratre natu maiore arcessitus, opibus ibi divitiisque abundante. Sed postmo-

D. Paullus Martinus Barcinonensis.

dum à fratre vitâ functo heres ipse institutus, rediit Barcinonem. Ubi singulari animi moderatione vivens, totusque pietati deditus, quas Deo opes acceptas referebat, in eius laudem profundere constituit. Principiò igitur Cœnobium Illuròne * Monialibus, quas Capuccinas vocant ædificari jussit regali propemodum sumptu. Namque multa aureorum millia in eo ædificio expensa fuisse certum est. Inopes similiter egenosque, quos passim offendebat, non solum expetitus ac rogatus juvit; verum etiam ultrò, nec postulatus sese illis inferre consuevit, largèque opitulari. Quod genus liberalitatis experta Congregatio est. Ab ipso in urbem reditu accessit Paullus frequenter in Ædem nostram, quum ut statis horis unâ cum Patribus cœlestia meditaretur, tum ut divinis inte-

Mataronēse Capuccinarum Cœnobium.

* *Illuro, nunc* Mataronum *Civitas, ad oram maritimam posita est, orientem versus, tertio decimo à Barcinone milliario, Bætulone non procul.*

interesset Officiis concionibusque. Inter hæc verò angustias Templi veteris multitudini confluentium imparis animadvertens, sacello illud novo sacræ Eucharistiæ adservandæ destinato dilatare constituit. Quod præstitit extemplò, re solum cum P. Carùsio communicata, ne ipse potius auctor operis laudaretur, quàm Deus. Quocirca clanculum sumptus fecit, donec amplum, ut cernitur, ædificium, locum Oratorio parvo accommodatum, & sacellum continens, extructum fuit. Quod factum est ab anno huius sæculi quadragesimo ad quadragesimum tertium, & postquam septimam Præfecturam absolverat Carùsius. Quippe voluit Deus ostendere quàm sibi accepta forent, quæ iste vota habebat de Æde nova absolvenda. Erant enim huiusmodi, ut palam dictitaret æquo se laturum animo, ut ad pretium conficiendum, quod usui commodoque ædificii esse posset, Mauris ipsis veniret.

Sacellũ ad Eucharistiã adservãdã ædificare iubet Martinus.

Anno eodem quadragesimo circiter res accidit mira dictu, & minime

me involvenda silentio. Nobilis puellula filia Josephi Pinòsii Marchionis Barbarànensis (de quo sæpe redibit sermo) comitis nunc à Sancta Columba uxor, gravi conflictata febri, quam dira urinæ retentio fovebat augebatque, salutis suæ ac vitæ spem nullam faciebat, jamque oculos extremùm videbatur clausisse. Venit domum Carùsius jacentem consolaturus matrem Magdalenam Zurèdam (cuius genus in primis nobile Palmæ est in insula maiori Baleari) adflictam magnopere ob puellulæ alterius obitum, quam pepererat nuper, at filiæ natu maioris discrimen ignorantem. Salutata matre, ad morientem pergit; sed extemplò ab eâdem discedit nulla spe vitæ reliqua. Videt hoc puellæ Avia, stirpis quoque ex Patre suo Pinosiæ, & ad pedes Carùsii provolvitur effusissime lacrimans; manuque prehensum, ut morienti opem ferat, si velit salvam matrem, suppliciter rogat; addens non se illum abire permissuram donec talia promittat: Cui Pater adhuc

Marchionis Barbaranensis filia natu grandior Carùsii ope mirabiliter sanata.

huc genibus nixæ *Vade*, inquit, *pia femina, quid non aget Carùsius pro gente Pinosia?* His dictis proficiscitur. At vix domûs egreditur vestibulo, quum ægrotans puella lotium fundere cœpit, & exinde non solum melius habuit, sed convaluit perfecte. Id ex Marchione ipso intellexi parato quum oporteret Sacramento confirmare. Atque hæc, ut dixi, ad annum circiter huius sæculi quadragesimum referenda sunt. Anno sequenti egregium sodalem amisit Augustinus D. Josephum Albertinum, D. Petri Albertini, & Mariæ Jalpinæ filium. Fuit hic excelso animo vir, qui familiam suam Llagostèræ in Gerundensi tractu pluribus titulis præclaram, novis honoribus amplificavit. Summo ergo Deputati Cataloniæ Magistratu egregie perfunctus, & conjuge privatus nobilissima ex quia filium susceperat, Sacerdotio insignitus fuit, ac tandem annum agens sextum & quinquagesimum in domum nostram receptus VII. calend. Februar. an. post Christum

P.D. Josephus Albertinus.

tum natum M.DCC.XXIII. ubi insignem pietati operam navavit, donec Gerundæ anniversariam cum filio rusticationem agens nescio quo morbi genere de medio sublatus est.

CAP. VI.

PRÆPOSITI MUNERE DEFUNCtus ad patriam proficiscitur.

PORro quum annos quinque supra decem adsidue, summâque semper diligentia ac dexteritate Præfecturam domûs exequutus esset Carùsius, jamque privatæ vitæ desiderio flagraret, eidem in re sane quàm justa morem gerere Patribus visum est. Itaque postridie calend. Maias an. M.DCC.XLII. Præpositus renunciatur Josephus Casassayes, integerrimi vir animi, ac singularis adeo in obeundis negotiis industriæ, ut nemo magis quæ agenda essent curaret, sine ulla ostentatione agendi. Quod in novi Templi quo utimur exstructione, cui Patrum decreto

P. Josephus Casassayes

annos

annos præfuit plusquam viginti, observari abunde potuit. Sed morbo correptus, quem apoplexin vocant, excessit è vita XIII. calend. Maias an. M. DCC. LII. postquam annos octo & triginta in Congregatione exegisset omnium æmulus, atque imitator virtutum. Carùsio autem unâ cum tyronum institutione Deputati munus commissum est. Interim ipse, ut vires adsiduis curis ac laboribus labefactatas aliquantò reficeret, ac præsertim ut còminus popularium suorum saluti consulere valeret, Sancti Johannis Abbatissarum oppidum, quod patriam adpellabat, proficisci decrevit. Anni erant circiter triginta ex quo ipse patrios lares inviserat: scilicet ut valetudinem recuperaret, de cuius statu omnino fuerat dejectus in tribus illis quas sæculi huius exordio passa est obsidiones Barcino. Nec enim periculis ullis, nec ipso mortis metu, quæ quotidie civium faucibus hærebat, terreri potuit Augustinus, ut Congregationem, quam suavissimam matrem

Varia Carùsii munera.

Eius in Congregationẽ amor.

trem nuncupabat, relinqueret orbatam. Immo vero inter tot ærumnas, vigilias, laboresque quos infracto animo pertulit, paratus semper fuit in illius sinu, si ita Deo placeret, cum lætitia interire. Ergo ut quam turbidis illis temporibus collapsam in patria erexit disciplinam firmius stabiliret, anno circiter M.DCC. XLIII. illuc remigravit. Ibi autem, quàm in omnes partes fructuosa eius caritas, & industria fuerit, quô facilius possit existimari pauca eius facta adtexemus. Primùm igitur nihil antiquius habuit quàm ut statam horam cœlestium rerum meditationi (ut in Oratorio fit) publicæ habendæ in maiori illius oppidi Æde destinandam curaret. Quod facile ab Archipresbytero, ac Canonicis piis, ac religiosis hominibus fuit consequutus. Ipse verò in eodem Templo Missam quotidie celebrare, confessiones excipere, conciones quum opportunitas sese dabat habere, Ecclesiasticum pensum solvere, ferè semper orare. Quod dum popu-

In Patriã proficiscitur.

Vitæ ratio in Patria.

lares

lares videbant sui magna eum reverentia prosequebantur, & honore. Quibus rebus in eorundem fructum utilitatemque Carùsius usus est. Dominica secunda Septembris celebratur illic anniversarium festum in honorem sanctissimi, quod vocant, Mysterii, seu Divinæ Hostiæ per plura sæcula in imaginis Jesu cruci affixi fronte stupendo miraculo adservatæ. Hoc festum, ut sollemnius populares efficerent taurorum ludicrum certamen adhibebant, publicasque choreas. Concionem eo anno de tanti Mysterii laudibus habuit Carùsius. Qui occasione arrepta, tanta orationis vi de illarum rerum turpitudine dixit, ut omnes qui aderant vehementer commoverentur; rectores autem populi illiusmodi ludos inhibere decernerent. Quod ita factum est. Die quoque IV. calend. Septembris, quæ D. Johannis Baptistæ decollationem memorat, & magna ibi celebritate agebatur, concionem habuit Augustinus. In ea verò saltatricem illam exagitando, quæ

Fructus concionum.

caput

caput expetivit Baptistæ tanta iterum acrimonia choreas insectatus fuit, ut concione perorata graves viri eius oratione permoti palam dictitarent minime se posthac aut domi, aut domesticis suis tripudia permissuros. Quibus eloquentiæ suæ victoriis exultare lætitia, & cum magno Ecclesiæ Doctore Augustino triumphare gaudio poterat Augustinus noster. Nam sicut S. Doctor incolas Cæsarèæ Mauritaniæ à pugna illa civili, aut plusquam civili, quam catervam vocabant, quâque non modo propinqui, sed & fratres, parentes, filiique lapidibus se obruebant occidebantque, dicendo compescuit: ita Carùsius à lubrica taurorum pugna, publicisque choreis populares suos continuit. Utinam verò qua ille felicitate, nam apud Cæsareenses, ut idem inquit S. Augustinus, nihil tale unquam tentatum est. Sed Carùsius pro eo quo flagrabat populares suos juvandi desiderio, eisdem insuper suasit, ut quo tempore sanctissimo Mysterio sollemnia peragebant,

Egregia compa-- ratio.

bant, festum instituerent, quod quadraginta horarum adpellare mos est. Ita enim existimabat fore, ut & taurorum ludicra certamina, & tripudia diebus adeò sanctis tollerentur omnino. Hac de caussa amplam indulgentiarum concessionem à Romano Pontifice impetravit, & iterum illuc Barcinone se contulit. Sed iter, & spes eius ceciderunt in irritum. Quod ipse patienter quidem tulit, at non impunè populus. Nam subitò diuturnis gravibusque morbis, qui cunctas ferè domos adflixère cœlestes iras expertus est, quas jam antea Carùsius intentaverat.

Nec populares tantum suos meliores reddere conatus est: Sed in pagis etiam, quos iter agendo visebat, præstantis virtutis, caritatisque reliquit impressa vestigia. Sic in Centellensi oppido Ausonensis Diœceseos feliciter statam horam habendæ publicè rerum divinarum contemplationi suasit: quodque tempus potuit quibuscumque ad se venirent quâ re, quâ consilio juvandis

Gesta ab Augustino in Centellensi oppido.

con-

consumpsit. Nec verò sine fructu. Puellam enim annorum undeviginti jam dudùm oculorum morbo laborantem, quam arte nulla medicus sanare quiverat, adhibito oculis crucis signo, ægrotatione illa liberavit repente. Testatur id germanus eius frater spectatæ probitatis Sacerdos, ac testis oculatus. Sicuti duas alias, quas ibidem, soloque item crucis signo edidit curationes mirabiles: alteram in femina quinquagenaria eiusdem Sacerdotis cognata, oculorum itidem morbo oppressa: alteram in puero ita claudo, ut gemino ad ambulandum baculo indigeret. Illa etenim morbum ab oculis extemplò abiisse persensit. Puer verò nullo alio adjutus medicamento, brevi etiam crura ad usus movit suos, extenditque quò vellet, ac tandem nullo fultus adminiculo ambulavit. Barcinonem reversus ad annos aliquot tranquillè vixit Augustinus, solis nempè Deputati, Correctorisque officiis occupatus. Nam post Josephum Casassayes iterum gubernacu-

Puellam crucis signo oculorũ morbo liberat.

Feminã, & puerũ sanat.

la domûs suscepit P. Quiricus Saurinus. Sed tamen Carùsius, quum natum se unice ad laborem intelligeret, domesticis liberatus curis, solita pietatis, caritatisque munia in exterorum utilitatem fructumque obire perrexit. Illis itaque quibus cura erat ceterorum ad justitiam colendam, ac fidem plena salutis prudentiæque dare monita: Aliis, ut rectoribus suis, aut parentibus auscultarent obsequerenturque persuadere. Unde fiebat, ut eum summi infimique, ut sanctum hominem intuerentur, & in eius precibus salutem collocarent suam. Sic femina Eulalia nomine, Sacerdotis supra memorati famula, curationum ab Augustino in Centellensi oppido editarum certior facta, Barcinone ad eundem accessit. Laborabat hæc dextro genu jampridem, & tàm acritèr dirèque, ut nullatenus exequi munia domûs valeret. Id dolor sequebatur, & is quidem acerbus. Ventum erat ad medicamenta, sed profuerant nulla: nihilosecius quum ipsa, suadente

Barcinonē reversus in pietatis operibus totus est.

Curationes mirabiles.

Ca-

Carùsio, lustrali aqua partem ægram signo crucis signasset, continuò toto discuso dolore sanata fuit. Sic etiam per hæc eadem tempora quum septennis puer Philippus Nerius Smandia, Josephi filius in mortiferum incidisset morbum, fuissetque ad extrema redactus, ad Carùsium confugit Joseph, eumque, ut quam Patri reddiderat salutem, eandem filio redderet suppliciter rogavit. Ivit domum Carùsius de nostra hac benemeritissimam: manus puero admovit ferè animam agenti. Quid tum? melius habuit Philippus, & vivit ad hunc diem.

CAP. VII.

IN POSTREMA CONGREGATIONIS Præfectura quid egerit.

Octavùm creatur Præpositus.

POstridie calend. Maias ann. MDCC. XLVIII. iterum Congregationis cura demandata est Augustino; non sine Dei immortalis consilio, & numine. Qui servum fidelem

lem ob tot tantosque pro divino honore cultuque exantlatos labores summa voluit lætitia, gaudioque cumulare. Siquidem anno superiore M. DCC. XLVII. Paullus ille Martinus, quem toties beneficum experta fuerat Congregatio, Patrem Saurinum convenerat, eique decem librarum catalanarum millia ad reliquam Templi exstructionem spoponderat. Quod verò isthuc pecuniæ haud sibi in promptu, ac numerato esset, addiderat venditurum se villam, quæ abs dubio tanti futura erat. Qua hominis liberalitate difficile dictu est quanta fuit Augustinus voluptate perfusus. Non distulit Martinus, & villam vendere, & fidem liberare. Quocirca post calend. Novemb. anni eiusdem M. DCC. XLVII. maiore quàm unquam conatu novæ fabricæ admotæ manus sunt. Saurinus enim, & Paullus, & Carùsius urgere non cessabant operarios fabrosque. Sed placuit tamen Domino, ut neuter ex postremis quod diu optaverat multumque, absolutum videret. Nam

Paulli Martini munifica donatio.

Paul-

Paullus Martinus postridie calend.
Eiusdē decessus Junias anni M. DCC. XLIX. post accepta summo gaudio, ac religione Divina Sacramenta, ac testamentum conditum, tametsi nondum manu sua subscriptum, in quo heredem fecit ex asse Congregationem nostram, de hac vita migravit. Carùsius menses post eum aliquot. Quos scilicet largiri voluit Deus, ut novis eius signis sanctimonia eniteret. Quum enim eodem anno Christi M.DCC.XLIX. nobilissimus, ac pius,
Eventus memorabilis. admodum vir Felix de Amàt Barcinonensis in lethalem incidisset morbum, qui brevi eum ad ultimum vitæ terminum perduxit, ipso obitûs die XI. calend. Aprilis P. adiit Carùsium Barbarànensis Marchio. Eumque in Eucharistiæ sacello orantem sub vesperam offendens de amici sui morte certiorem effecit. „ At ei; in-
„ tellexi quidem, respondit Augus-
„ tinus, totoque morbi tempore eni-
„ xas pro eo ad Deum preces fudi,
„ sed hac nocte præterita fudi eni-
„ xiores. Multum laboravit: at Dei
„ tan-

„ tandem ope felicem felicem ipsum!
Obstupuit ad hæc Marchio : & quid nocte ea accidisset perquirens, cognovit ex viris gravissimis, qui morienti adfuerant, horam circiter noctis primam cum dimidia, quum pacato antehac animo videretur esse, & fere jam exanimis, derepente ægrotum in lectulo sedisse, & postquam veluti cum multis irruentibus luctasset, *pellite*, *pellite eos* exclamasse; sed illicò ad pristinam pacem rediisse, eâdemque expirasse. Audito eventu, verbisque Carùsii cum eodem collatis, rem totam ab illo divinitus cognitam fuisse existimavit Marchio. Idemque eo audiente dixit vir gravissimus Stephanus Pinellius Congregationis Missionis Barcinonensis tùm Superior: addens hoc solo facto magnam sibi P. Carùsii sanctimoniam probari. Sed hanc antea æque mirus eventus comprobaverat. Anno M.DCC.XLVII. in maximum repentè vitæ periculum incidit trimus puer Francisci Thomæ Barcinonensis filius Philippus Nerius

Trimus puer nō sine prodigii specie sanatur.

nomine, quum jam è morbillis pene convaluisset. Nam hora post meridiem prima, pridie, opinor, nonas Januarii terribili adeò paroxismo correptus fuit, ut egisse crederetur animam. Accessère Medicus, & Chirurgus, periti ambo : remedia adhibuère varia : incassum omnia. Hæc inter Pater pueri ad Carùsium accurrit, utque filio opem ferat enixissimè rogat. Visit puerum Carùsius, admonuitque discedens, ut noctu ipsum de ægrotationis statu facerent certiorem. Ventum est ad extrema vesperascente die, & rursus domum nostram advolat mœrens Pater. Cui Augustinus : *Mortuusne puer est ? nondum quidem*, ait ille, *sed moritur. Ha ! vade Francisce mi* Augustinus reposuit, *Philippum lustrali aqua signa, & quì habeat in crastinum fac sciam.* Res mira ! Rediit domum Franciscus, ac supra faciem pueri fide plenus lustrali aqua signum crucis adhibuit. Nec mora: ocellos puer aperit, quos diu clausos tenuerat, Patrem dulciter vocat,

cat, exinde melius habet, & contra omnem medicæ artis rationem, quæ eundem illi paroxismum minitabatur, integram brevi valetudinem recuperat. Franciscus vero postridie ad Carùsium se contulit: rem ei ut contigit narravit: gratesque quas potuit maximas persolvit pro tanto beneficio. Sed statim Dei servus: *Atqui Divo*, ait, *Philippo acceptum referas oportet Philippum tuum, eique in grati animi signum votivam tabellam offeras.* Quod fecit extemplò Franciscus Thomas, & Carùsium exindè veneratus est magis.

CAP. VIII.
QUOTIDIANA EIUS VITÆ RATIO.

UT quæ sparsim de Carùsio dicta sunt, sub uno aspectu posita cerni universa queant, vitam eius referre breviter quotidianam, & domesticam pretium operæ visum est. Sic ea fuit. Audito mane tintinnabulo nulla mora surgebat è strato, & gratiarum hymno, aliisque pre-

Carùsii vitæ ratio quotidiana.

cationibus diei primitias Deo auctori libabat, haud eas intermittens donec de more in Templo (quod fere semper, vel in senecta viscbat ex primis) res divinas meditari cœpisset. Horâ, quæ habendæ præfixa est contemplationi decursâ de genibus ac suavissime, sellam confessionum audiendarum adibat, nec inde discedebat, quoad voce, vel signo ad sacrificandum moneretur à sacrorum custode. Rem divinam priusquam faceret, vitam suam ad calculos vocabat, noxasque Sacramento expiabat Pœnitentiæ. Quid verò in Missæ celebratione sentiret, quantusque esset ardor eius, atque animi devotio in actione gratiarum, jam supra demonstratum est. Tum Sacerdoti aderat sacris operanti, vel gravissimis Præfecturæ occupationibus distentus. Immò verò, si in villam Congregationis secessisset, Cœnobium quod Carmelitæ incolunt discalceati, villæ proximum petebat, ut tantum obire ministerium posset. Solebat enim Carùsius in il-

lud

lud suburbanum, quod amœnissimum est, tanquam à tempestate in portum sese recipere. Ut ibi maiore tranquillitate & otio, vel conciones elucubraret, vel corpori laboribus vigiliisque fracto laxamenti aliquid impertiret. Quemadmodum gratissimæ memoriæ Conditor noster Ollegarius Monserratus, Urgellensis jam Præsul, domuique simul nostræ honoris caussa Præpositus datis litteris Cōgregationi præscripserat: addens, ideò se suburbanum illud emisse, ut in eo pro opportunitate rusticari Patres possent, ii præsertim, qui haud satis firma uterentur valetudine.

Tēpestivæ rusticationes in Congregationis suburbano.

Hic vir justo à me quidem volumine prædicandus erat; sed operis modus paucis eum narrare jubet. Fuit itaque honesta potius, quam nobili in hac urbe ortus familia V. idus Jun. an. M.DC.XVII. Patrem enim habuit Juris Civilis Doctorem, regiique Senatûs Barcinonensis caussarum Actorem Petrum Monserratum. Mater ei fuit Marquesia probatissimis moribus mulier, & pudici-

Illustrissimi Cōditoris nostri Ollegarii Monserrati exprimitur effigies.

citia, ac fœcunditate mirabili: nam peperit tredecim liberos, quorum quintum Ollegarium ita educavit à puero, ut innocentia eximius, sanctitate præcipuus, legumque prudentia insignis dignus haberetur, qui eam in publico gymnasio edoceret. Verum maiori divini numinis afflatu impulsus, secum ipse reputans, quàm fluxæ inanesque omnes humanæ res essent, sanctioris vitæ cupiditate exarsit, atque ecclesiasticæ militiæ nomen dare constituit. A Præsule Vicensi D. Raymundo Sentmanatio Sacerdotio quodam curam Animarum requirente donatus, annos quatuor munus illud obivit, nullos pro ovibus sibi traditis labores subterfugiens, nulla reformidans pericula. Romam profectus Episcopo annuente, ibique ad adquirendas, colendasque proborum virorum, & Cardinalium amicitias se conferens, suavissimis suis moribus, ac laudabili vitæ genere quamplurimos sibi devinxit. Quorum benevolentia, & favore quum summi Pontificis Ale-

Romam pergit.

xan-

xandri VII. studium gratiamque sibi peperisset, Canonicatu, & Archidiaconatu maiore Metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensis ab eodem auctus fuit. Reversus in Patriam, & Brevis, ut aiunt, Apostolici Judex creatus, tùm Tarracone vitæ sanctimonia, totiusque regimine Diœceseos, tùm virtute ac severitate Barcinone fuit clarissimus. Sed nostræ Congregationis erectione per ea tempora longe clarior. Quum enim graves aliquot præstantesque viros, quorum voluntatem officiis, ac benevolentia sibi conciliârat, egregii quod dudum moliebatur operis, egregios item socios fore animo præcepisset, mense Februario exeunte an. M.DC.LXXI. rem ipsis totam aperuit. Placuit consilium. Sed primo tentandam esse privatis exercitationibus viam omnibus visum est. Amplius biennium in prolusionibus illis clanculum in domo Ollegarii obeundis consumptum fuit. Quo elapso tempore, quum regiam, facultatem, Illustrissimo Præsule D.

Amplis Sacerdotiis, muneribusque decoratur.

Congregationis nostræ fundamenta jacit.

Fr.

Fr. Ildefonso Sotomayorio, urbisque Magistratibus annuentibus, & adjuvantibus adeptus fuisset Ollegarius, in ædibus quas paullò ante coêmerat, eorundem adsensu, & adprobatione XVII. calend. Julias an. salutis M.DC.LXXIII. Neriano initium dedit Oratorio. Res tanta summâ bonorum omnium lætitiâ, sed summâ quoque celeritate peracta est. Siquidem Dæmon quasi futura præsagiens, per se, suosque satellites Congregationem recens natam ipsis cunabulis evertere, ac delere conatus est, multa de pravo doctrinæ genere, deque vita Ollegarii Institutoris permulta mendaciis calumniisque permixta ad sacrum Inquisitionis Tribunal per malevolos homines deferendo. Sed dum inimica laudis, atque virtutis invidia perpetuam Ollegario ad Fidei Quæsitores delato inurere conatur notam, magis in dies nomen eius facit illustre. Etenim è custodia, post exactum in ea mirabili patientia, & constantia fere biennium jussu Quæsitorum

Eam tãdem felici successu excitat.

Ad sacros Quæsitores delatus in custodiã datur.

rum eductus, ab iisdem innocens declaratur: atque ita ornate, & honorifice, ut illorum primarius D. Balthassar à Prato amicissime Ollegarium amplexans hisce verbis, *Deus te clarificabit*, insignem eius testificetur victoriam. Et sane regio statim Caroli II. decreto ab omni nota, & ignominia liberatur vindicaturque Ollegarius: immo haud multo post Cancellarius regius, & Cataloniæ Senatûs Præses creatur; ac tandem post abdicatum constantissime Episcopatum Vicensem, eodem imperante Carolo Urgellensibus decoratur infulis. In homine vero amplis adeo muneribus functo nescias utrum magis mirère, quod laborum semper excessit modum, an quod honorum temperavit. Ingravescente Reges inter Catholicum, & Christianissimum bello, Gallorum copiæ in Cataloniam irrumpentes Urgellam cepère, totamque fere ipsius Diœcesim magno Antistitis detrimento: Hispani autem Exercitûs Duces fœdæ illum proditionis apud Re-

Insignis Ollegarii victoria.

Post abdicatum Episcopatũ Vicensem, Regis jussu Urgellensẽ admittit

Animi magnitudo in adversis

Regem insimulârunt. Sed hæc inter Ollegarius nihil, aut fecit, aut dixit, ac sensit sua, hoc est christiana fortitudine alienum. Sicque & oves sibi commissas, & hanc nostram domum, cuius Præfecturam annos aliquot retinuit, quâ verbis, & adhortationibus, quâ scriptis editis prudentissime, atque sanctissime rexit, perfecti functus munere Pastoris, atque Pontificis.

Virtutes, & mores Ollegarii.

Ad vitam verò eius privatam quod adtinet omnium videres imaginem virtutum. Orationis studium cuiusmodi in eo fuerit, ex eo liquet quod nostram orationis domum fundaverit, optimis in hanc rem præceptis instruxerit, eandemque quam nostris præscripserat orandi rationem, Antistes ipse in Aula sua perpetuò sequutus sit. Hanc in orando pietatem summa cordis munditieş, & castimonia honestabat, victûs tenuitate, vitæque asperitate custodita. Caritate in Deum, proximosque tanta flagrabat, quantam in eo reperiri oportebat, qui in unius Dei recorda-

datione, & sanandorum animorum cura adquiesceret. Par caritati fortitudo eius erat, magnitudo animi, divinaque fiducia cum mirabili humilitate conjuncta : est enim hoc sanctissimorum virorum proprium, ut quò apud se ipsos humiliores abjectioresque sunt, eò fortiores constantioresque in Dei negotiis evadant. Comitatem moderabatur gravitas, ut omnia tum dicta, tum facta sanctimoniam spirarent. Nihil antiquius habuit Dei gloria, & christianæ Reipublicæ utilitate : quibus conservandis promovendisque (spretis ubique periculis) ingenium, vires, & vitam, quum ocasio se daret, paratissimus obtulit. Viduis, & pupillis, aliisque id genus deploratis hominibus parato semper ære succurrit, dictus propterea Pater pauperum. Deiparam, Divosque singulari cultu prosequutus est. Tandem post maximos labores pro Christo Domino exsudatos magni animi & consilii vir XII. calend. Novembres an. Chr. M.DC.XCIV. suavissima mor-

Guissonæ mortem obit suavissimam.

morte naturæ debitum exsolvit, annos natus septem & septuaginta, non sine luctu Ecclesiæ, & bonorum omnium. Post exsequias Guissonæ suæ Diœcesis oppido mira populi frequentia celebratas, eius corpus Barcinonem in Ædem nostram, uti ipse imperaverat, translatum est. Ubi justa quoque persoluta, ut tantum, tamque munificum Conditorem decebat. Post biennium ipsius cadaver incorruptum repertum est: verum anno huius sæculi XXVII. tantisper immutatum.

Corpus in ædem nostram transfertur.

Illustrissimi Ollegarii decessus eò luctuosior haberi debuit, quod paullò ante viros amiserat Congregatio, qui illius erant non adumbratæ, sed admodum expressæ imagines. Mitto P. Jacobum Vallèsium in oppido Vallisformosæ Diœcesis Barcinonensis honestis Parentibus Jacobo, & Maria natum, qui post laudabiliter emensos in sodalitate annos quinque extremum diem obiit pridie calen. Januar. an. M.DC.LXXXVIII. multa posteris tolerantiæ, fortitu-

P. Jacobus Vallesius.

dinis,

dinis, humilitatis, caritatis, reliquarumque virtutum exempla relinquens. Mitto P. Franciscum Bofillium honesto item natum genere, qui post Ecclesiam oppidi Episcopalis Gerundensis Diœceseos incredibili vigilantia administratam, annum agens sextum supra quinquagesimum Institutum nostrum amplexus fuit; omniaque ab eodem præscripta ita diligenter servavit, ut nec illud omitteret propriis militandi stipendiis. Donec III. calend. Novemb. ann. M.DC.XC. post testamentum conditum in quo reditus quosdam Congregationi legavit obdormivit in Domino. Mitto alios. Sed unum non queo sine piaculo præterire. Is est Hyacinthus Suilsius, cuius vitæ acta dignissima profecto sunt, quæ uberius, & fusius memoriæ, ac litteris mandentur, ut possint nostris hominibus exemplo esse. Sed à nobis tamen pro more tantummodo delibabuntur.

P. Franciscus Bofillius

P. Hyacinthus Suils.

Igitur Hyacinthus Lirii humili loco in Aragonia, & humilibus Paren-

ren-

rentibus natus fuit; atque ita nutritus, atque à pueritia institutus, uti qui agris colendis destinabatur. Bonam adolescentiæ partem paterno in agro ita operis præfuit, ut & sua manu faciundo operi vomeres, & ligones strenue tractaret. Ceterum ingenio, & facundia à natura præditus, rure ad Valentinam Academiam litteris operam daturus se contulit, aut potius à Dei spiritu ductus est. Grammaticis præceptionibus imbutus Philosophiam, & Theologiam in florentissimo illo Gymnasio tanto audivit animi ardore, ut gratis in utrâque scientia Doctoris insignibus decorari meruerit. At illico animadvertens dormitantem oscitantemque eam esse sapientiam, quæ non ad usum transferatur, doctrinæ vim illam, qua se præstare non ignorabat, in pulverem ac solem educere constituit. Sacerdotio itaque initiatus Apostolicum concionandi munus adgressus est. Apostolicum, inquam; nam more Apostolorum *virgam tantum, non peram, non panem ferens,*

Prima Hyacinthi institutio.

Litteris Valētiæ jam grādis operam dat: & Doctoris insignibus gratis insignitur.

Concionatorem agit Apostolicum.

neque

neque in zona æs Valentiæ, & Aragoniæ regna quàm late patent (si patrium solum excipias) peragravit. Cataloniam Dei monitu quum venisset, & post nunciatum plerisque urbibus, & oppidis Evangelium, appulisset Barcinonem, è vestigio Ædis nostræ exercitationibus, & suavissima Monserrati Conditoris, ac reliquorum Patrum consuetudine captus fuit. Atque adeo mirifice captus, ut continuò in sodalitatem adscribi enixe postulârit. Quin eius petitio in magnum Congregationis emolumentum esset cessura, nemo unus dubitabat ex Patribus. Nihilo tamen secius aliquantò, ut fit, eiusdem desiderium retardatum iri omnes decreverunt. Jam verò X. calend. Maias ann. M.DC.LXXXV. quum enixius postularet ipse, aggregatur tyronibus annum agens quartum supra tricesimum. In Hyacinthi moribus nihil non erat ad pietatis normam exactum: Sed tamen Ollegarius, ut item erat animorum regendorum ipse magister, suæ traditum disci- pli-

Nerianis Patribus se adnumerat.

Probatissimi Hyacinthi mores.

plinæ perpolire non destitit magis magisque. Singulas eius tyrocinii, & reliquæ vitæ res gestas haud licet nobis ipsius imaginem adumbrantibus referre: potiores summatim adtingemus. In omni virtutum genere insignis caritatem in Deum, proximosque ardentiori studio prosequutus est. Is eius pectori divini ardoris insedit æstus, qui sæpe madefactis aqua frigida pannis, vel summâ indigeret hieme. Hunc vero quem animo fovebat ignem nec facies identidem incensa, nec actuosa eius vitæ ratio dissimulare poterat. Quinque minimùm horas præstitutæ cœlestium rerum meditationi dabat quotidie: sed & diem totum ex Dei cogitatione, atque amore pendentem videbant socii, sæpeque observabant eius animum à sensibus abstractum eminere in vultu. Et fama est, die quodam, quum summo premeretur mœrore, ad sacram Christi è Cruce pendentis imaginem (quæ etiam num in Ara maxima visitur) per altaris gradus ad amplexum venisse,

Caritas in Deum ardētissima.

Studium orationis.

nisse,

nisse, eandemque audivisse loquentem. Hoc plane certum: ex divino Præceptore eam didicisse animi demisionem, vitæque asperitatem, quæ stupori omnibus esset. Indignum se Patrum contubernio, indomitum animal, vileque mancipium adpellabat ex animo. Propterea capitali in se ipsum infensus odio, attritum labore corpus asperrimis insuper adflictationibus subigendum suscepit. Jam enim ipsum liquatâ perfundebat cera, jam crudelissimis verberationibus, inedia, vigiliis castigabat, jamque armatâ acutis acubus zona, sparteis funiculis, ac pilosâ cingebat tunica. Ita Crucis Domini egregius amator, eximiusque verbi Dei præco, post exactos in Congregatione annos sex, ætatis suæ quadragesimo primo, elapsi sæculi nonagesimo secundo, ad æternam mercedem recipiendam vocatus est. Dum ei supremi à Patribus persolvebantur honores, turmatim se Barcinonenses ad visendum cadaver inferebant. Alii immaturam Apostolici vi-

Humilitas, & vitæ asperitas.

Hyacinti mors.

ri lamentari mortem : alii eius virtutes in cœlum ferre : sanctum alii in ore, atque oculis omnium adpellare virum. Humi ad latus Evangelii mandatus fuit : postea ad commune sepulcrum translatus.

Sed jam ad Carùsium revertamur; huc enim longius quàm initio voluntas fuit à proposito digressa est oratio mea. Ergo in villam urbi proximam, ut vel Manibus pareret Illustrissimi Conditoris Ollegarii Monserrati secedebat interdum libentissimè Augustinus : ibique ruris, & agri deliciis, quæ potissimum videntur esse sapientis mirum in modum afficiebatur, & mentem ad cœlestia suam erigebat. In villæ cupressèto una erat non solum emortua, sed pridem etiam arida cupressus. Quam ipse intuitus die quodam sub vesperam copiosè jussit irrigari, custode villæ reclamante, vanumque prorsus affirmante laborem fore. Sed mirum! postero die non recidiva modo, sed viridior reliquis vegetiorque cupressus visa est; ut

Erga Illustrissimi Conditoris Manes Carùsii veneratio.

Res mira.

ut hodieque longè pulcrior & viridior adparet. Quod quidem Valentinus (hoc erat nomen villico) naturali irrigationis caussæ tribui posse, quum ex eo quærerem, negavit. Sed Carùsium è suburbano in urbem reducamus.

Quod post Missæ celebrationem, & alterius minimùm sacri auditionem, reliquum erat mane in sella transigebat, ut peccata confiteri volentibus præsto esset. Dum autem vacabat, sacrarum pensum horarum innixus genibus ibidem persolvebat: vel si hora suppeteret in cubiculo. Ubi sacrorum bibliorum, scriptorumque asceticorum lectioni, aut scriptioni dabat operam, ad horam usque prandii. Quum inter prandendum cœnandumque dubia (ut moris est apud nos) quâ de morali disciplina, quâ de sacris litteris duo, aut proponebat ipse, aut proposita ab altero dissolvebat, paucis utebatur, omnique procul ostentatione, & adparatu. Cibum verò ita modestè, secumque habitans capiebat,

Sanctissimæ occupationes Carùsii.

Modestia in dubiis dissolvēdis & capiēdo cibo.

ut non tam edere videretur, quàm orare. A prandio unâ cum aliis Patribus in locum destinatum remissionis gratia conveniens, de rebus haud ita seriis molestisve sermones habebat jucundos; sed qui ut plurimum audientibus utilitati simûl, & oblectamento esse possent. Consuetudo enim eius plenissima suavitatis erat; animus ab omni simulatione alienus; colloquia, quæ multùm delectarent, neminem læderent; orationem enim pugnacem, & contentiosam aversabatur magnopere; exēplo Paulli, qui audiens quasdam inter Corinthios contentiones obortas esse, eos non molli brachio objurgavit. Interim tamen ne à suavi, usitatâque cum Deo familiaritate descisceret, colligebat crebrò se, & paululùm ab aliis sejunctus maiorem in modum attentus ambulabat. Quod tempus meridiationis quieti datur, quieti itidem dabat ipse, ut obedientiam profiteretur, quam semper habuit antiquissimam. Prius tamen, quum ex cubiculo suo transi-

tus

tus in absidem Eucharistici sacelli esset, heic paulisper sistebat, & Domino meridianum consecrabat somnum. Idemque experrectus faciebat. Vespertinas confestim preces recitabat seu stans, seu in genua provolutus, capite vel summa hieme aperto. Tum, nisi ad ægrum, aut nosocomium eundum esset, auctorem de mystica Theologia pertractantem legebat; frequentiusque Rusbrochium, S. Johannem à Cruce, Blosium, Rodriguesium. Si locus erat, antequam vespertinam ex consuetudine in Tēplo Dominicæ Passionis meditationem iniret, matutinum recitabat, laudesque: si minus, post eandem. Quumque hic modus in Oratorio teneatur, ut vespere post semihoræ orationem, quæ mente peragatur, ad clepsydræ normam dimensam, dum de more ter in hebdomada flagellatio fit, breve Passionis Domini compendium cum psalmis quinquagesimo, & centesimo vicesimo nono, ac orationibus lugubri voce cantetur; id ferè semper canere Augustinus sole-

Precandi modus.

solebat. Et voce adeò mœsta, eosque sensus ac dolores habente, ut omnes commoveret, ac mirum in modum ad sui castigationem acueret. His rebus confectis quorumdam Sacerdotum confessiones alacri vultu excipiebat: eosque ad pietatem ac cœlestium amorem excitabat mirificè. Deinde ad meditationem redibat ac precationes, quas verno, & æstivo tempore ad horam usque cœnæ protrahebat sæpissimè. Hieme autem, quum tardiùs cœna fiat, maturiusque publica meditatio, post hanc cubiculum petebat, ut scriptioni, lectionive vacaret, vel ad se ventitantes exciperet: namque patere cunctis dies noctesque, B. Patris exemplo, cubiculi fores voluit. Sed ante cœnam semihoræ spatium coram Divino Sacramento minimùm insumebat. Cœnabat: eâdemque illa oris, & corporis conformatione, quam ex intima hauserat consuetudine cum Deo. Quumque ex D. Bernardo didicisset non se rebus tradere, sed commodare, tùm vel maximè

mè cœlesti adeò præcepto utebatur, ne maiores in palato, quàm in animo illecebras sentiret. Unde fiebat, ut nunquam de cibo quereretur potuque: nec sibi tametsi firma minus utenti valetudine proprium edulii, vel condimenti genus apponi unquam sineret. Immo haud parum quotidie de obsonio detrahebat suo, ut cum reliquiis aliorum pauperibus daretur, quos diligebat validissime. A cœna, ac ceteris rebus quæ omnibus communes sunt, priusquam cubitum pergeret, in absidem sacelli conferebat se, ut inde postremò Dominum adoraret in Sacrario latentem. Ac tandem quod noctis supererat necessariæ tribuebat quieti.

CAP. IX.

ÆGROTATIO EIUS, AC MORS.

ANnum adtigerat Carùsius octogesimum, quum eum insignia in cœlum merita evocarunt. Quoniam verò mira nonnulla sanctissimum

mum eius anteverterunt obitum, breviter heic indicanda sunt. Ac principiò non casu, sed Dei consilio factum putem, ut qui toto vitæ cursu Dominicæ Passionis mortisque fuerat devotissimus, eâdem die qua mortuus in Cruce est pro mundi salute Dominus, in lecto collocaretur ad agni nuptias confestim evocandus. Feria etenim sexta sanctioris hebdomadæ post horam cœnæ illicò decubuit pestiferæ jam febris vi. Ea verò hebdomada, quasi ultimum sibi diem instare præsensisset, eo omnia ardore obivit ministeria, qui incredibilem suam, nulloque ætatis flexu inclinatam pietatem luculentius ostenderet. Feria in primis secunda concionem habuit ad populum vehementiùs solito acriùsque. Feriis quinta, & sexta, Christo pro nobis passo, & vita functo sacris sollemnibusque, non solum ut ceteri è sodalitate dedit operam, sed ut eidem erat Præpositus Missam celebravit, cœlestem panem suis distribuit, & post usitatas supplicationes

Feria sexta hebdomadæ maioris in morbum incidit Augustinus mortiferum.

sacra-

sacratissimum Corpus Domini in Sepulcro collocavit, ab eoque in altare reduxit. Hoc enim deesse videbatur, ut quasi alter justus Simeon canitie item venerabilis Christum non oculis modo acciperet, verum etiam complexu retineret, priusquam è corporis vinculis tanquam è carcere evolaret. Sed & mane ipso feriæ sextæ historiam Passionis Christi horam integram Sepulcrum invisentibus legit, summa spiritûs voluptate, ac fervore. Jeiunium eius diei ex præscripto domûs austerum valdè servavit; quemadmodum indicta ab Ecclesia toto tempore quadragesimæ, nec aliter ac si illis teneretur, fuerat persequutus. Sollemnia quoque officia vespertina persolvit, meditationi adfuit, & flagellationi, itidemque concioni de Christi cruciatibus habitæ, ac precatoriam Virginis coronam recitavit de genibus. Sed tandem, ut diximus, æstu victus ardentissimæ febris cœnæ hora post modicam refectionem decubuit.

Acce-

Frustra ægro medicina adhibetur.

Accedunt medici, opem ferunt quam possunt, sed nihil ei prodest à medicamentis profectum. Ut incidi sibi venam patiatur, jubent. Patitur ille quidem sereno vultu: at sanguinis effusione ægri potius, quàm morbi labefactantur vires. Molestissima gliscente febri, jamque à Medicis desperata salute, feria secunda Paschali, ut divinis muniatur Sacramentis, indicitur. Sacratissimum ei Viaticum hora post meridiem tertia delatum est. Quod ea vi ardoreque animi sumpsit, qui difficilis explicatu est, fit porrò cuique credibilis in homine præstantis adeò virtutis, & in tanto vitæ periculo. Nam de morte sibi instante (ut argui conjectura potuit) cognovit ipse. Siquidem non salutem, nec ut in eo servando tollendove voluntas Dei fieret, ab iis qui aderant impetrandum poscebat, sed exitum felicem. Interim omnia ille ægrotationis incommoda, doloresque æquissimo subibat animo, patientia verò tanta, ut nullum ab ore verbum exci-

Divinis munitur Sacramentis Carùsius

Eius in morbo patiētia, & pietas

excideret, quod non summam hominis demonstraret constantiam, ac insitam virtutem. Quin potius nunc psalmorum versus pie usurpans, nunc dulcissima Jesu & Mariæ nomina, adeò læta erat fronte, ac si cum ipsis colloquens videretur adesse. Nec in tanta vi morbi, eâdemque obitûs nocte adduci unquam potuit quo minus usitatas preces Divæ Matri persolveret; seque magis per confessionem expiaret. Ad extrema verò redactus horam circiter noctis decimam feriæ tertiæ Paschalis sacro Oleo inunctus est. In cuius Sacramenti cærimonia cuncta fere verba sanctissima unâ protulit cum Sacerdote, eo sensu pietatis, ut maiorem in modum exultare videretur spiritu. Hora duodecima, quum jam emori inciperet, cœperunt etiam Patres eius animam, lacrimas precibus miscentes, Deo ac Sanctis christiano ritu, ac more commendare. Donec hora feriæ quartæ prima, quæ fuit calendis Aprilis anni post Christum natum M. DCC. L.

tan-

Mors trāquillissima.

tanquam placidissimo quodam somno consopitus excessit è vita, annos natus novem supra septuaginta, menses quinque, dies duodecim. Decessit ergo Augustinus Carùsius non sine maximo sodalium, bonorumque omnium fletu ac mœrore, quibus tristissimum doctrinæ, probitatis, prudentiæ, consuetudinisque desiderium suæ reliquit. Interea Patres in eius ornando funere, & in memoria honoranda certatim progressi sunt. Ut verò fieret multitudini confluentium satis, corpus ut ab omnibus cerni posset in Ædem deductum, & in feretro collocatum diem integrum remansit. Nam morte vulgata tantus ad ipsum visendum & de plebc, & de prima nobilitate concursus hominum factus est, ut in Ædem nostram nunquam maior. Nec defuère, qui aut de vestibus quidquam suis, aut de rebus aliis requirerent, ac clanculum etiam auferrent. Tametsi cautè Patres modestiæ, religionisque caussa in eo versati sint. Tandem exsequiis mag-

Domesticorũ, & externorum sensus in Augustini obitu.

na

na itidem omnium ordinum frequentia celebratis, emortui corpus arcæ inclusum, haud in communi, sed proprio, honoris caussa, Sepulcro conditum est.

CAP. X.

STATURA, MEMBRA, ET INCESsus eiusdem.

STaturâ fuit procerâ Augustinus Carùsius, justam aliquantò excedente: Corpore nec satis amplo, nec robusto: colore candido. Vultu, vel in sermone, vel tacitus valde tranquillo serenoque, in quo mira benignitas cum maiestate quadam quasi fœdere ac societate conjuncta existeret. Oculis item fuit vivacibus nitidisque, quibusque inesse videbatur quiddam divini vigoris. Barba, capilloque, sive sufflavo natura, sive nigro, ætate ac curis jam cano. Incedebat cervice obstipa, devexâque, ac in senecta magis. Per vias autem Civitatis fixo in ter-

Carùsii forma, ac figura.

terram oculorum obtutu; plerumque meditans apud se, nulloque, vel rarissimo etiam cum socio sermone: à quo sæpius, quum à quoquam salutabatur, admonendus erat, ut eum resalutaret. Ex his adparet non admodum ad vivum expressam fuisse, quæ ab obitu vulgò illius circumferebatur effigies. Omnium maxime germana est, quam eodem obitûs die doctæ manus penicillo exprimi jussit eius spiritualis filius Barbarànensis Marchio, ut ita tam cari capitis absentiam quodammodo leniret, & sicut in morbo fecerat, ita post mortem eius nova ederet erga P. Carùsium testimonia amoris sui. Cuius quidem imaginis formam sane quàm elegantem effingit profectò quæ libelli huius frontem ornat, nuperrime insculpta imago. Sed & feminæ duæ nobilissimæ, itemque egregii istius Civitatis viri duo, quorum animis maxima de Carùsii sanctitate opinio insederat, eiusdem effigiem nulla mora graphice depingi curarunt.

Verior Augustini Carusii effigies.

DE

DE VITA

VENERABILIS AUGUSTINI CARUSii, DOCTORIS THEOLOGI, CONgregationi Oratorii S. Philippi Nerii Barcinon. octavùm Præpositi, & Congreg. Orat. Vicensis Institutoris.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

CARITAS AUGUSTINI ERGA Deum, & Religio.

PERSEQUUTI hactenus Augustini vitam Carùsii, de ipsius virtutibus generatim, ut se dedit occasio, diximus: reliquum est, ut de eisdem singillatim, eâdemque, si minus elegantia, at perspicuitate saltem,

tem, atque candore dicamus. Ut verò ab ea exordiamur virtute quæ caput est ceterarum, caritatem eius erga Deum, quoad vires ferent, exponemus. Nam perpendenti vim amoris quo ipsius pectus ardebat, fateor mihi & verba idonea, & sensus deesse argumento pares. Prætérquam quod ille, ut erat sui contemptor eximius, & in divinis cælandis favoribus sollers plurimum ac diligens, nunquam de interioris vitæ deliciis emicare aliquid passus est. Quare excusandus ego sum si caritatis eius non imaginem, sed umbram, aut expressero, aut descripsero. Quamquam utinam vel ad id par facultas me juvaret. Jam verò si fidem amori facta conciliant, tot tamque sublimia in unius Dei laudem ab Augustino patrata, singularem eius caritatem persuadeant necesse est. Nam primò, ut supra retulimus, locupletibus non modo semel, & iterum Sacerdotiis, blandienti quoque in stadio litterarum fortunæ, sed Patriæ, ac Patri Dei gra-

Occultatio donorum cœlestiũ

Rebus omnibus atq̃ adeo vitæ suæ Dei præfert amorem.

gratia nuntium remisit. Nec Patri solum, sed vitæ identidem suæ Dei placitum antetulit. Nam infirmâ admodum valetudine quum esset, nec de vitæ severitate, nec de laboribus, vigiliisque, remittere voluit quidquam. Quo factum est, ut vi morborum sæpenumero ad extrema redactus sit. Nec sanè judicio Medicorum vixisset tamdiu, si ad vivendum id haberet tantummodo, quod sibi natura tribuebat. Ex quo concludi potest magis eum ex Deo, quàm ex se ipso amoris vitam duxisse.

Hunc porrò caritatis ardorem in omni re, atque verbo demonstrabat. Nam vix aut loquebatur, aut agebat quidpiam, quin præsentis Dei maiestatem intueretur animo. Itaque vel mediis hominum congressibus cum Deo morabatur, miscebatque sermones suavissimos; ex quibus frequenter scintillæ eæ prodibant: *Jesus*, *Jesus*, *& nihil amplius.* Hinc flagrans desiderium manabat, zelusque divinæ gloriæ; quo percul-

Crebra suspiria.

 sus

sus minime quiescebat, ut quos posset ereptos sæculo divinis rebus addiceret. Hinc tolerantia illa, & hilaritas in vigiliis, morbis, laboribus, cruciatibus, quibus adsiduè supra modum vexatus fuit. Sed in sacro, ut jam monuimus, faciendo totus sic ardebat, ut sæpè toto ex ore quædam veluti flamma emicaret. Nec minus dum ante aram maximam, aut in proprio sacello Eucharistiam adorabat, demissâ semper totius corporis inclinatione: potissimè verò si patens ea cerneretur. Nam subito in Jesu præsentis amorem rapiebatur, & quasi abductus adparebat à sensibus. Ex hoc autem augustissimo mysterio tantam hausit divinitus lucem, ut ex intimo suo abditæ dulcitudinis sensu divinæ præsentiæ veritatem colligeret.

Erga Divinã Eucharistiã reverẽs, & ardẽs studium

Quod eventus mirabilis, qui in annum incidit huius sæculi circiter quintum decimum, luculenter ostendit. Festus agebatur dies in quodam huiusce Civitatis Cœnobio, Eucharistiâ, ut putabatur, oculis omnium

Eventus mirabilis.

nium propositâ. Ingressus in Ædem Carùsius ex more precaturus in genüa provolvit se, & postquam paululum tacitus oravit, quasi à dulci somno expergefactus surrexit, perrexitque donec Sacerdotem offendit delùbri illius custodem. Huic statim; *quid agitis? Hostia quam adorandam exposuistis consecrata nòn est.* Stupuit ad hæc Ædituus, tantique rem momenti vestigare advolavit. Eâque tandem discusâ, ita profectò habere, imprudentiâ nescio cuius, aut errore compertum est. Quocirca reducto velo mutatur Hostia, & panditur iterum, confestimque divina: sed magna in Æde admurmuratio, atque commotio fit. Atque hæc qui oculis viderunt Dr. Santias Presbyter, & Dr. Franciscus Monèrius Vicensis iis enarrarunt, à quibus ego accepi, quum rem adeò miram, & apud multos ceteroquin vulgatam diligentius expenderem. Sed & postquam hæc scripseram ex Laico professo Ordinis servorum Virginis Mariæ in huius Urbis Cœnobio com-

morante, oculato, & aurito teste facti veritatem multò certius cognovi. Hic enim tredecim tunc annorum puer in eo Templo versabatur, quum in ipsum ingressus est Carùsius: quem puer sibi confessarium habebat, habuitque biennio post ex more Patronum, fautoremque, quum Ordini illi eius professione se addixit. Testatur ergo ille Carùsium à socio bis admonitum, ut sublato capitis operculo eum in Æde exhiberet cultum, qui patenti altaris Sacramento debetur, eidem bis quoque respondisse: *Sacramentum altaris minimè patens est*; citoque se cum comite in ædes contulisse. Hæc probè recordatur Frater, præterea nihil. Quæ tamen cum illis quæ nuperrimè adtulimus congruere videntur, novumque pondus ad humanam fidem (quam solam in hac historia requiro) faciendam eventui tribuere.

Igitur maxima divinæ bonitatis perceptione fruebatur Carùsius coram sacra Eucharistia. Nec minore qui-

quidem dum sacris operabatur, ut libro primo dictum est. Scilicet rependebat ei Dominus tam largâ donorum concessione cœlestis panis aviditatem, & in sacrificando religionem. Ritus enim omnes, ac cærimonias ex romana forma præscriptas ad amusim servabat, nihil in eis minutum, nihil non magni faciendum contineri adseverans. Atque in eo difficultatem omnem, quam vel adversa valetudo, vel externa impedimenta parerent mirâ superabat constantiâ. Providebatque ne quid incondite, vel decòre minus perageret. Adeo ut inter acres dolores genua profunde ad solum usque demitteret. Sacrum verò etsi protrahebat longiuscule; ita tamen, ut intra justam metam reduceret pietatis fræna: ne dum Sacrificii reverentiæ tarditate consuleret, tædii ansam adstantibus prolixitate præberet. Sacro, prolixâque gratiarum actione absolutis, ministri vicem ad aram litantibus obibat. Avide semper occasiones arripiebat ministrandi aliis

Summa in sacro faciendo religio.

Eucharistiam. Quod eo factitabat ardore, ut dum Hostiam porrigeret præcordia eius caritatis igne liquescerent. Meditationes similiter, precationesque, quoad eius fieri poterat, in Templo habebat. Ubi putabat non modo sanctius coli, sed facilius benigniusque audire Deum. Proinde nec domo egrediebatur, nec cubiculum pergebat, quin prius Ædem inviseret. Deus autem quàm ei large, copioseque diligentiam illam rependeret, plurimis argumentis declaratum est. Tot enim annos, ut vidimus, malè habens solo accessu ad Eucharistiam percipiendam, aut verò adorandam animi perturbationes, corporisque dolores levari sibi millies expertus fuit.

Quoties copia erat orabat in Templo.

CAP. II.

CARITAS EIUS ERGA PROXIMOS.

FAmiliaris illa cum Deo consuetudo, & ardentissima caritas mirifice in salutem proximorum Carùsii

rùsii pectus accendit. Sic vidimus juvenem ipsum, & Theologicâ donatum laureâ in Æde Divæ Marthæ cathechistam egisse, errantesque animos ad rectum salutis iter quà precibus, quà monitis, omnique etiam ratione traduxisse. Vidimus quoque concepti amoris, ut in alios incendia mitteret, jam tum animo agitasse Evangelicum totâ Cataloniâ obire ministerium. Oratorium autem ingressus attrita ferme valetudine, quotidie ad se venitantes omni ope juvare, atque ad ardens perfectionis studium excitare nunquam destitit. Et quamquam ei spiritualibus muniis domi præpedito vix tantillum otii suppetebat, nunquam tamen continere se potuit, quominus ereptum illis occupationibus tempus in ægrorum solatio consumeret. Quos si pauperes essent, non modo alloquiis suavissimis, sed pecunia itidem eorum inopiam sublevando, recreabat. Sciebat nimirum uti gratum Deo semper est collatum homini beneficium, atque egeno homini

Zelus animorum.

Ægros præsertim pauperes cōsolatur, & juvat.

mini multo gratius ; ita illi fore gratissimum, si egeno ægroto conferretur. Cui nec labore, nec mendicatione victum parare esset integrum. Eas porrò familias, quarum eò miserabilior inopia, quò ob mendicandi verecundiam minus nota piis divitibus foret, ut sublevare quoquo modo posset, mirum! quas artes excogitabat, & industrias. Sed eas potissimum adolescentulas, quæ in vulgandi corporis discrimen erant adductæ, totis viribus sustentare, & ab infami quæstu nitebatur abducere. Domum privatorum nullam, aut jucundius, aut libentius quàm nosocomium adibat. Nihil pensi apud ipsum erant temporis incommoda, si ad ægrotos esset prodeundum. Immo si qua nocte intempesta ad ædes veniebat nuncius suppetias moribundo efflagitans, ipsumve requirens, extemplò se lectulo proripiebat, actisque Deo de tam opportuna merendi occasione gratiis, advolabat ad ægrum. Hanc ægrotos juvandi consuetudinem non foris tan-

tum,

tum, sed domi potius, quâ privatus, quâ Congregationi Præpositus diligentissime, ac constantissime tenuit. Etenim ut cognosceret quemquam è nostris cuiuscumque esset ordinis in ægrotationem incidisse, continuò acciri Medicum jubebat, & nihil prætermitti quod ille præscripsisset, aut ægro oblectationi, vel laxamento esse posset. Decumbentes autem invisebat crebro ipsemet, ac miris amoris significationibus, dulcissimisque confirmabat verbis. Præterea (quod caritatis in proximos argumentum est maximum) quos sibi infestos patiebatur, ardentiori præ aliis prosequebatur amore, ac suavissimis verbis, non tam ne eidem illi nocerent, quàm ut illis ipse prodesset, conciliare sibi, atque placare studebat. Eoque genere dilectionis in Oratorii Ausonensis erectione sæpenumero uti visus est.

Domesticos ægrotos caritate plusquã paterna curat, ac recreat.

Flagrãs amor Carùsii erga homines sibi infensos & inimicos.

Qui verò tam accenso erga omne genus hominum, pravorum etiam, studio ferebatur, quanto, putas, Dei amicos amore prosequebatur? Hos

qui-

quidem dominicæ vineæ cultores impigros contemplatus, non solum ut Fratres diligebat, sed tanquam divinos observabat homines. Carthusianos præcipuè, qui Monasterium incolunt Montalegrense octavo à Barcinone milliario. A quibus ipse de rebus divinis frequens consulebatur, & velut oraculum audiri assolebat. Singulari etiam propensione erga Carmelitas Discalceatos, strictiorisque observantiæ Fratres Capuccinos ob vitæ austeritatem sentiebat se affici. In quorum Cœnobia extra mœnia Civitatis sita, quum per otium licebat, libentissime conferebat se. Ibique cum religiosissimis viris sermones de Deo miscebat, eosdemque omnimodis humanitatis, ac benevolentiæ officiis curabat demereri. Accidit autem in Cœnobio Capuccinorum, informandis tyronibus destinato, res mira. Ex his quidam peccata sua antequam Religionem ingrederetur Carùsio confitebatur: sed eo tamen inconsulto tyrocinium illud suscepit. Ut cognovit Carùsius, in

Amor in Carthusianos.

In Carmelitas Discalceatos.

In Capuccinos.

Memorabile evẽtum.

in Cœnobium se contulit. Ibi tyronem ad se venire jubens, cum eo de injuria sibi illata expostulavit graviter; addens se tantummodo ut culpam ei remitteret importuni silentii ad ipsum accesisse. Mirum! Eâ hominis objurgatione perculsus tyro, sponte Patri fasus est, id tum se meditari dumtaxat quì posset religiosum habitum deserere, patriosque remigrare lares. Quibus auditis Carùsius juvenem confirmat, donec dœmonis intellecta fraude constanter in ordine perseverandum sibi duxit esse. Multa etiam caritatis, & munificentiæ suæ in laudato Carmelitarum Discalceatorum Cœnobio signa edidit Carùsius, quæ nulla unquam obscurabit oblivio. Nam hi religiosissimi homines in grati animi testificationem, præclara eiusdem facinora, & summam erga ipsos liberalitatem, per manus quidem transmittere non cessant ad posteros.

Caritas erga cognatos, populares-que.

Haud minor Augustini caritas fuit erga cognatos suos, popularesque. Ubi enim animadvertit absque ullo vir-

virtutis suæ dispendió, magno verò illorum fructu revisere se patrios penates posse, debere etiam ex pietate existimavit. Quamobrem facile se exorari à suis passus est, ut oppidum S. Johannis sua præsentia, consuetudineque hilararet. Ibi quá præclaris morum exemplis, quá saluberrimis privatim adloquutionibus, quá publicis in Templo concionibus addere cunctis ad virtutem faces instituit: tanto omnium compendio, ut nec pueri eo caruerint, rudioresque. Nam ut abundè cap. 6. libri 2. expositum est, & pravis quibusdam moribus, qui vulgo increbuerant occursum, & plura pietatis officia instituta, quæ suum deinceps cursum prosperè adeò tenuère, ut hodieque à piis serventur incolis. Atque hanc caritatem, proximosque solandi propensionem minime cum vita exuit Augustinus, ut anno M. DCC. LX. declaravit aperte. Filiam habebat Josephus Vilarrubia Medicus Modilianensis gravissime variolæ morbo laborantem, jamque calendis Decem-

Josephus Vilarrubia Medicus Modilianēsis.

cembris eiusdem anni deductam ad extrema. Huius periculum edoctus prudens Pater alterum arcessivit Medicum, ut si qua via ambo possent filiæ mederentur. Sed hic quoque inspectâ malorum pervicaciâ actum esse de salute puellæ proclamavit, ab eâque discesit nunquam à se posthac revisenda. Adest jam prædictum ab eo supremum discrimen, sine pulsu arteria, sudores frigidi, vicina mors: paraturque quo ea involvatur ferale linteum. Sed interim mœsto Patri venit in mentem de Carùsii effigie, quam domi adservabat cogitare, rogareque Dei servum pro vita filiæ desperata. Tum imaginem arripit, admovetque jacentis osculo, ac sublatis in cœlum manibus spe plenus venerabilem Patrem orat enixissime, spondens, filia si vivat, Ædem se D. Philippi Nerii Barcinonensem visurum. Concepto voto reviviscere statim puella visa est. Abscesit febris, cum eâque quidquid exitii minabatur, ac brevi illa convaluit perfecteque. Id, ut gestum

Carùsii effigies moribūdæ puellæ salutaris.

erat,

erat, nostris narravit idem Vilarrubia quum voti caussa anno M.DCC.LXI. Ædem nostram invisit. Ad rei verò sempiternam memoriam chartam reliquit manu sua exaratam subscriptamque, ubi pro ea qua ipse pollet medicæ artis cognitione, & filiæ morbum lethalem fuisse testatur, & eius curationem P. Carùsii intercesione fatetur adsequutam.

CAP. III.

ORATIONIS STUDIUM, ET ADsiduitas.

EX incensa illa in Deum, & proximos caritate ingens eius orationis studium profluxit. Ac primò ea quidem vulgaria sunt statas meditandi horas toti sollemnes Congregationi quotidie orando consumere; ac si aliquò eundum erat, vel in ipso itinere, easdem ad fervoris sui clepsydram exigere. Hoc singulare, invictum ab oratione spiritum (uti de S. Martino Ecclesia refert)

fert) relaxare nunquam. Hoc præclarum, inter ipsas manuales operas ad cœlestia conscendere. Sed ipse quum ab annis adolescentiæ piarum meditationum copiâ mentem implesset, facile poterat in divinarum rerum cognitione continuò habere defixam. Recolebat insuper intra se divinum oraculum : *Oportet semper orare* : ac de eo propterea in domestica frequenter hortatione pluribus disserebat. Peroptabat nimirum ut reliqui etiam præter ordinarium meditandi duarum horarum pensum, semper aliquod divinorum mysteriorum mente pervolverent. Præcipua eius meditatio in Christi vitæ mortisque recordatione versabatur, tum quod eadem quotidiana nostris est, tum quod magnopere salubris per se, ac frugifera mirificos Augustino jamdudum fructus pepererat. Ex quo scilicet juvenis adhuc, ac Philosophiæ dans operam quotidie in Æde D. Catharinæ huius Civitatis nixus genibus ante imaginem Jesu è Cruce pendentis, prope aram ma-

Oratio adsidua.

Christi vitæ, mortisque meditatio.

maximam, uti nunc visitur, positam ad multum tempus orabat. Ab ea igitur ætate adeò firmiter menti eius insedit amor Crucifixi, ut quidquid deinceps cogitaret, ageret, loqueretur Christum saperet, & hunc crucifixum. Quocirca ante eius effigiem passionis, & cruciatuum seriem dolenter percurrere, oscula dulciter vulneribus dare, manus pectori apprimere, suspirare, gemere, illacrimari, quæque aliæ concitationis vehementis notæ ipso inconsulto observabantur ab aliis. Hinc sive dolor, vigilia, languor, febris, æstus, frigus, imbecille eius corpus incesserent, robustior iis animus erat, passionis dominicæ recordatione, ceu pabulo, recreatus.

Pietas in Divinā Matrem.

Quid verò dicam de pietate, qua Divinæ Matris recolebat mysteria? Hanc quæ promereri à Deo nihil non potest, totis viribus à pueritia demereri cupiens, omni obsequiorum genere prosequutus est. Sed potissimè intaminati sui conceptûs cultorem se præbuit devotissimum. Erga

præ-

prærogativam divinæ maternitatis ab Angelo Virgini annunciatam ita ferebatur, & tam alte de Incarnationis Verbi mysterio sentiebat, ut in eo colendo, ornandoque prætermitteret nihil; Deique tandem Genitricem sub titulo Annunciatæ Patronam domûs constitueret. Verum & aliis nominibus Deiparam venerabatur, eique dicata Templa, vel altaria summâ visebat religione. Precatoriam rosarii formulam singulis diebus de genibus percurrebat, aut in Æde ante Eucharistiam, aut in cubiculo coram pulcherrima illius tituli effigie lignea. In cuius manu post obitum Carùsii scheda reperta est, ita habens: *Ego Augustinus Carùs vilis indignusque peccator perpetuò me devoveo, atque offero clientem, servumque SS. Virgini Mariæ, eiusque filio Christo Jesu.* Prout verò ipse B. Virginem amabat, ita omnes ad eius amorem, ac venerationem, eamque singularem & eximiam incitabat. Et audivère sæpè dicentem: *Væ nobis si clementissimæ Matris destituamur*

Voto se Christo Jesu, eiusque Matri obstringit.

Cultus, & obser-vātia in sanctos.

patrocinio. Nec dissimiliter in Sanctorum cultu versabatur. Ex quorum numero quosdam selegerat, quos & impensius veneraretur, & singulariter in rebus invocaret dubiis. Quorum recurrentibus per annum diebus, quà lectitando, quà meditatione præclara facta percurrendo, ad ea imitanda haud segniter incitabat se ipsum; aliosque itidem pro opportunitate impellebat. Angelum quoque tutelarem, ac reliquas beatas mentes ob sublimem naturæ dignitatem, & gloriæ cumulum reverebatur eximie. Sic maiorem diei partem in exhibendis Deo, Virgini, ac Cœlitibus obsequiis consumebat Carùsius.

Jugis meditatio.

Sed illud mirandum magis, quod jugem meditationem haberet, etiam in plateis vicisque, quos inambulabat fixo semper in terram oculorum obtutu, totusque in Dei cogitatione defixus. Adeo ut sæpe à socio admonendus esset, quum salutabatur in via. Quod non poterat frequenter non evenire, quum vix quisquam

unus

unus uni in Civitate carior foret, quàm unus hic universis. Hoc igitur admirationi erat cunctis, quod homo tot negotiis distentus tantam contemplationis cum actuosa vivendi ratione conjunctionem habere posset. Sed vir cœlestis ubicumque esset à se nunquam exibat. Quare ex ipsa hominum consuetudine, usque cò vegetus erectusque ad meditandum veniebat, ut illico in jucundissimos Dei amplexus se daret immergeretque. Et quamquam ita, ut diximus, meditationi insistebat, bis insuper in anno per dies decem spiritualibus S. Ignatii Loyolæ, quæ dicuntur, exercitationibus tradebat se: ut iis magis divino igne animum inflammaret suum; cujus vim & ardorem vel exteri sentirent. Quemadmodum anno M.DCC.XL. Magdalena persensit, Jacobi Senjoanii Barcinonensis conjux. Hæc ex difficili infortunatoque partu adeò graviter laborabat, ut fere in nulla corporis sui parte sensu perciperet, tametsi acu pungeretur; jamque Sa-

Spiritualibus S. Ignatii exercitationibus bis in anno vacat Augustinus.

cramentis munita extremum expectaret diem. Inter hæc ad Carùsium accurritur spiritualibus tum exercitationibus intentum. Caritate permotus perrexit illuc Pater: ac ægrotantis fronti manum quum admovisset, atque ad salutem à Deo cum fiducia sperandam fuisset adhortatus, confestim ægra, & sensu percipere, & meliuscule habere cœpit; brevique non modo extra periculum, sed sana evasit omnino. Id quod ipsa, me coram testata est. Nec sibi tantum, sed suis cœlestem illam secessionem anniversariam optabat esse. Quapropter aut domui Præpositus, aut tyronibus Præfectus decem dierum exercitationes, velut prima spiritûs rudimenta quibus ad institutum fingerentur, præscribebat eisdem. Quin ex reliquis Sacerdotibus ab annuo earum exercitationum penso immunem volebat neminem. Cognôrat plane ex ea caritatis officina brevi, ac facilè potuisse quempiam perfectum virum evadere, ac, Deo annuente, ad sublime orationis pervenire fastigium.

Manûs attactu ægrotã feminã sanat.

Quid de S. Ignatii exercitationibus sẽtiret.

Haud

Haud disparem in precationibus psalmisque recitandis sensum pietatis habebat. Atque ut sileam quanta cum attentione, ac reverentia precum publicarum familiares formas absolveret, exactissimam eius in Divino Officio recitando diligentiam prætermittere non possum. In eo igitur, tanquam in præcipuo Sacerdotum munere, visus est sedulitatis metam adtigisse, quam ne diligentissimus quidem ullus excedat, pauci etiam diligentiores adsequantur. Itaque ad lubricæ mentis evagationes antevertendas, tempus locumque seligebat à concursu hominum strepituque semotum. Et quia ardens erat semper accensaque eius oratio, ac cœlestibus plerumque consolationibus affluens, adduci vix poterat, ut in ea socium admitteret. Solus ergo clausoque ostio provolutus in genua, vel stans, divinum pensum persolvere; inter precandum, paulisper ad alendum animum reficiendumque quiescere; non versus modo ac voces integras, sed & syllabas

In Divino Officio recitãdo sedulitas.

labas

labas quaslibet clare distinctèque adpellare; vix unquam partem ullam memoriter, sed fixis in codicem oculis, ex consilio S. Patris nostri, percurrere; ritus ab Ecclesia omnes præscriptos examusim repreſentare; nunquam ordinem, nisi caritas, aut necessitas è re divina esse suasisset, invertere. Hæc est summa meditationum, precationumque Carùsii; quæ quanti apud Deum valerent satis ex historia liquet superque. Quare haud ego singula persequar, quæ tum exterorum, tum domesticorum singuli illius precibus impetrarunt. Plura compendio complexum me existimavero, quum dixero felicem oppidò Vicensis Congregationis ortum progressumque; Ædis nostræ extructionem magnificam perfectamque; quinimmo sodalitatis totius nomen & incrementum, aliaque plurima maximam partem Carùsii precibus tribuenda.

***

CAP.

CAP. IV.

MODESTIA ET CASTIMONIA.

DE modestia Augustini dicturus, non omnes, quæ illius sunt partes atque munera, percurram. Sed illud adtingam ad communes congressus maxime adcommodatum, quo gravitas quædam in loquendo agendoque præscribitur. Ad hanc gravitatem visa natura est conformasse Augustinum. At hæc sensuum deinceps accedente custodia in austeritatem modico declinavit flexu. Quam ille tamen eo suavitatis comitatisque lepore temperavit, ut uno eodemque tempore & venerationi gravitas, & jucunditati hilaritas esset, cuius fructus appeteretur à plurimis. Nam ideo multi eum conveniebant, ut solatium reportarent, quum tristes, atque mœrentes accederent. Quod facile adsequebantur. Ubi enim ipsos vellicabat Carùsius, aut leviter manu demulcebat, vel caput tangebat humerosque,

Modestia cum gravitate, & hilaritate cõjuncta.

ita

Affabilitas Carùsii mœrorē omnem absterget.

ita eos exhilarabat, velut cœlestis aliqua dulcitudo ipsorum dilaberetur in intima. Cuius rei iidem qui ista legent testes erunt locupletissimi. Ergo huiusmodi erat modestia eius, ut, ex Apostoli monito, cum gaudio comitateque jungeretur. Nihil præterea in alloquiis leve, nihil ineptum, ac supervacuum; nihil in gestu incessuque inconditum. Sed omnia ita composita, ut forma corporis exterior index esset animi cum Deo semper habitantis. In circumspiciendo ita cautus fuit, ut non alienos modo vultus curiosius haud inspiceret, sed neque in ullam corporis sui partem intectam obtutum figeret, aut pateretur aliorum. Ad eamque modestiam hortabatur omnes. Ex eo autem usu contracta modestia, prodeunte ipso, in publicum prodibat, easque in plateis vicisque utilitates producebat, quales valet eloquentia ex suggestis producere.

Fructus modestiæ.

Cordis munditiеs jam inde à pueritia

Castimonia Augustini vel à puero qualis fuerit ex innocentia vitæ, qua fuit à piis parentibus institutus con-

concludi potest. Eam autem ætatem quæ obnoxia illecebris solet esse, quum ipse examine mentis quotidiano, ac ternâ in hebdomada divini panis sumptione munivisset, credere par est intaminatam servasse. Certe in ipsius dictis factisque, quod cuiusque animum vel oculos lædere posset, deprehendebatur nihil. Congregationem ingressus, quot & quâm præclara pudicitiæ virginalis signa dederit, haud ego illis suadere conabor, quibus ea oppidò sunt, quâm mihi notiora. Unum dicam, virum castissimum, & miræ temperantiæ armis tectum cinctumque, adeo tamen in hoc genere fuisse timidum, ac si maxime obnoxius esset libidini. Itaque feminarum non solum colloquia ac familiaritatem, sed ipsum etiam exhorrebat aspectum. Quod non semel experta fuit vel Helena eius soror, femina modestissima, quum huius sæculi exordio, ingruentis belli caussa, Gerundensi Sanctæ Claræ Monasterio relicto, hanc urbem venit. Ægerrime

Cautio in pudicitia servanda.

item

item mulierum vicinitatem ferebat vel caussa confessionis. Proinde, si quas per urbem incedens haberet obviam, ad latera divertebat, aut oculis pene clausis earum declinabat faciem. Quem morem quassato etiam senectute corpore constantissime tamen tenuit. Vellet ita nimirum exemplo, & opere ad pudicitiam tuendam docere suos. A quibus angelicum nitorem æmulandum magnopere contendit.

CAP. V.

DEMISSIO ANIMI ET HUMILitas.

DEmissio Carùsii & humilitas ea fuit, quæ non modo ipsum maioribus & æqualibus, sed minoribus etiam subjiceret. Itaque haud dicam Sacerdotes, quum Sæculares, tum Regulares, verum & Laicos Religiosos honore coluit prorsus singulari. Quoscumque enim in viis invenisset, primus, si adverteret animum, de-

Observantia erga homines Religiosos.

detecto capite salvere jubebat comiter. Et socio illico dicebat: *Miseros verò nos, & infelices! si pro nobis qui in tantis deliquimus religiosæ familiæ non orarent. Faxit Deus, ut easdem servet incolumes in sui gloriam, Reique publicæ commoda christianæ.* Quæ verba plena humilitatis interiora animi sensa satis ostendebant, quæ ille in sui ipsius cognitione habebat posita. Inde quum in Civitate vir sanctus palam adpellaretur, & ab omnibus, uti qui ita putabant, suspiceretur, solus ipse sui contemptor existimabat secùs, atque ut eiusmodi esset de se opinio plane dolebat. Quem dolorem Marchioni Barbarànensi perfamiliari suo significabat, dicens: *Peccatorem me nequissimum, mi Marchio, quem homines observant! si me intimè nossent pessundarent potius, quàm honorarent.* Hinc præclare abs se facta sollerter occultans, aliis tribuebat. Valetudinem maxime ægris per se quamplurimis, ut vidimus, restitutam, Deo semper, ac B. P. Philippo referri voluit acceptam. Eâdem-

Interior humilitas.

demque de caussa Divinum Officium rarò cum socio, ne ab illo observaretur, persolvit. Sed cubiculo, vel Ædis angulo, ut ita semotis arbitris fervori laxare habenas posset, & adytum vanitati omnem præcludere. Et ut erat simplicitate illa vetere, minimeque fucatâ non modo laudes, sed laudum etiam dispensatores, parasitosque aversabatur. Inde nemo maiore illum injuria afficiebat, quàm si coram laudaret, eiusve sanctimoniam extolleret. Quod quàm sit prædicatione dignum nemo nescit.

Honoris, laudisque odium.

CAP. VI.

CARÙSii OBEDIENTIA.

ILlius tam altæ humilitatis, partus nobilis obedientia fuit. Cuius tametsi Carùsio annos quinque & viginti ad Congregationis clavum sedenti non admodum opima seges præbita sit; ubicumque tamen se obtulit occasio, palam fecit de illa

haud

haud præcepisse se maiora, quàm egisse. Nam si ultrò operam coquo daret, non minus eius nutibus parebat, quàm dierum paucorum tyro. Medico item ægrotans, sic morem gerebat, quasi non tam à medicamentis, quàm ab obedientiæ virtute expectaret salutem. Nam jussus ab illo die quodam in lecto remanere donec ipse rediret, etsi revisendi eum Medicus oblitus fuit, noluit tamen Carùsius bene valens adsurgere, quòd Medicus aliter imperasset, nec à proposito dimoveri potuit nisi contrario imperio. Sic jubente eodem ut jeiunia solveret, vel esum adhiberet carnium, prompto animo obtemperabat, fore Deo gratiorem existimans mactatæ voluntatis victimam, quàm carnis integrâ voluntate. Quo vero tempore privatum egit in Congregatione Augustinus, quamquam hæc non imperio, sed arbitrio administratur & regitur; ita ille se gessit, quasi non tam arbitrio regeretur, quàm imperio. Vix ulla decurrebat dies

Obediẽtia Medico exhibita.

Congregatio Neriana nõ imperio regitur, sed arbitrio.

qua

Congregationis Instituta crebererrime legit, servatque quã diligentissime.

qua ille Congregationis nostræ non legeret Instituta. Eaque ita servare ac custodire curabat, ut à minimo vel latum unguem discedere nefas duceret. Destinato itaque ad orandum nostris sanctionibus tempori ne momentum quidem pro libito detrahebat. Ad æris campani pulsum, quasi Dei vocem audiret, mittere solebat cuncta. Domesticæ disciplinæ onera, quà mensæ statis diebus ministrandi, quà lectoris fungendi munere, eâ obibat sedulitate qua maior nequibat esse. Sive ergo inferendæ in triclinium essent dapes; sive harum reliquiæ in culinam referendæ, promptam ille hilaremque præstabat operam, nec eo labore levari se à socio Laico patiebatur, aut vero vinci diligentiâ. Moderatores domûs venerabatur Dei loco. Vix igitur innuebant quidpiam, immemor omnium præterquam obedientiæ Carùsius, promptius etiam parebat, quàm jubebatur. Existimabat siquidem optimum factu id esse, quod faciendum Divinæ volun-

Reverẽtia erga domûs Moderatores.

tatis

tatis interpretes Præpositi statuissent.

Hinc tyrones eius traditos institutioni curæque (hanc tenuit annos triginta) quà publicis, quà privatis sermonibus commonefaciens, semper docebat sine vera, & germana obedientia, & animi promptitudine verum ac legitimum D. Philippi filium fore neminem. Quandoquidem B. Pater Cæsari Baronio sibi in paucis carissimo, in re longe difficillima parere detrectanti, illud in os impegit, *aut pareat*, *aut abeat*. Præsulibus vero suis, eorumque vicarias partes agentibus, incredibile est quanta voluntate, judicio omnem in partem quàm prono & facili subderetur. Proinde domesticis externisque auctor erat, ut illos veneratione summa prosequerentur & amore. Dicebatque in eam rem, sine Præpositorum Ecclesiæ placito, ac facultate vix aliquod in re christiana gerenda fieri operæ pretium posse. Enim vero tam eximiæ obedientiæ suæ huiusmodi præmium Augustinus

Tyrones ad obedientiã hortatur

Obediẽtia erga Episcopos, eorumque Vicarios

nus à Deo tulit, nempe quòd eius imperio rationis expertes animantes non semel obedirent. Haud procul ab Æde nostrâ garrula à Sartore quodam Merula alebatur, quæ statâ potissimum meditationis horâ importune adeo interstrepebat, ut ab orando Patres avocaret. Id animadvertens Carùsius, die quodam ex via in aviculam conversus; *atqui jubeo te*, inquit, *Merula à cantu hocce intempestivo abstinère posthac.* Quid tum porrò? Abstinuit ita, ut muta prorsus extemplò reddita sit. Lepide item passeres coram eius cubiculi fenestrâ cubilia sibi nidosque construentes, quòd ipsum legentem precantem interpellarent, remisit aliò: nec exinde in priscos illi nidulos visi sunt revertisse. Noxios mures in villa quadam Congregationis impotenter grassantes, coloni miseratus vicem, quum abire illinc jussisset, ita fugavit avertitque, quasi exsilii veluti legem intulisset in eos. Erùcas similiter in eodem prædio radices arborum lædentes, jam-

Imperio Carùsii rationis expertes animantes obediunt.

que

que sata plurima in villici perniciem divexantes, huius rogatu quum diris devovisset, continuò omnes interiisse constabat. De cupressu alterius suburbani, quam exaruisse audierat, ad irrigationem eius jussu factam nocte una revirescente, quin & novarum frondium amœnitate vestita libro secundo dictum est. Ut inde satis liqueant superque vel inanimarum mentisque expertium rerum in Augustinum obsequia.

CAP. VII.

FORTITUDO AUGUSTINI.

FOrtitudinem in multis spectari recte à sapientibus dicitur. Sic quando quisquam se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, non turbatur adversis, non extollitur secundis, tum profectò fortitudinis laudem meretur. Jam verò harum omnium virtutis partium nulla in Carùsio desiderata est. Immo quàm in eis insigniter enituerit

ex hactenus dictis palam fit. Sed duo præcipua sunt ac præclara munera fortitudinis, sustinere nimirum, & adgredi difficilia. Ad primum quod adtinet, tota Carùsii vita tolerantiæ, & perpessionum exemplar fuit admirandum. Studiorum curriculo dura, ut scripsimus, paupertas eum vexavit. Congregationem ingressum non unus quidem, aut alter, sed legio morborum integra exercuit. Vigiliæ, vomitus, febris, stomachi languor & dolor facto agmine invasère. Sed quæ alium frangere singula singillatim poterant, junctis viribus nec inflectere eum valuerunt, nec movere. Neque in eo tantum quod cruciatus patienter omnes pertulerit fortitudo eius adparuit; sed quod illis insuper voluntarias pœnas misceret, & vegeta hilaritate temperaret. Verum hæc fusius narrata sunt libri 1. capite 6. ubi eius ægritudines, ægrotationesque recensuimus.

Fortitudo in morbis tolerandis.

Audendo autem eâtenus progressa est virtus eius, ut vi superioris impulsûs excita, magna semper tentave-

Fortitudo in rebus difficillimis adgrediendis.

taverit atque perfecerit. Quanti porro ausûs fuit ad operosam novæ Congregationis Vicensis molitionem adgredi? Non defuerunt adversi casus, irrisiones, calumniæ, alia, quibus occurrere fortitudinis erat. Sed ipse in acie stetit donec ædificio fastigium imponeret. Novi Templi quo utimur exstructionem (in qua multa aureorum millia expensa sunt) nullâ sumptuum copiâ persequi res humanis viribus intentata videbatur: sed Carùsio divina ope munito facillima visa est. Nec eius animum huius exordio sæculi strepitus ac pericula bellorum terrère potuerunt, quo minus in obsessa tandiu Barcinone persisteret, & gloriosam, si opus esset, in Congregatione tuenda sustineret mortem. Quam equidem eo potissimum die contempsisse visus est, quo, in sacello dum de more orabat, infracto animo perstitit; quum tamen omnes quotquot aderant pilæ ignitæ metu se inde subito proripuerint.

Invictus periculis animus.

CAP. VIII.

PRUDENTIA EIUS ET GUBERnandi ratio.

PRudentia Augustini, regendique ars toties vel maxime enituit, quoties Congregationis gubernacula suscepit. Quippe gnarus ad Præpositum pertinere non rectoris modo, sed Patris personam induere, utramque modis omnibus sustinere conatus est. Itaque omni ope contendebat, ut & cum ipso, & inter se Patres Laicique concordibus rem gererent animis studiisque. Ipse verò si quid abs se petierint, quod ad animorum salutem aut corporis utilitatem spectaret, impigre benigneque præstabat: ratus oportere ne necessariis ii rebus destituantur, qui alacriter portant pondus diei & æstus. Si quid negligentiæ, ut humana conditio est, illorum quispiam admitteret, opportune primùm & amice eundem admonebat: si verò in eandem socordiam erroremve dilabe-

Subditorum corrigendorũ ratio.

laberetur, jam aliquem ex eo capere se significabat dolorem. Sed eâ suavitate, ac lenitate significabat, ut quemadmodum docet Ambrosius, monitio sine asperitate esset, oratio sine offensione. Providit semper ut in exercendis ad domûs ministeria sodalibus, muneribusque injungendis modus adhiberetur, & pro cuiusque viribus imponerentur onera. Ne si maiora essent, quâm ut ea humeri ferre possent, virtutem non tam excitarent, quâm opprimerent. Ceterum quum omnes ille Congregationis homines ad regendum vellet idoneos, id curabat summopere, ut qualis ipse esset, tales reliquos effingeret. Illis proinde suadebat, ut quam maiores nostri tot laboribus vigiliisque nacti fuerant existimationem ac famam, modis ipsi omnibus conservarent tuerenturque. Perinde quasi quod sapiens scripsit; melius esse bonum nomen, quam divitiæ multæ, id pro nostris potissimum videretur scripsisse. Monebat quoque ipsos atque hortabatur,

tur, ut aliarum familiarum Præfectos religiososque viros conciliarent sibi, & cum eis quantâ maximâ concordiâ possent amicitiâque viverent, quod mutua hæc familiaritas, ad mutuam etiam existimationem servandam, opportunissima sit. Et probe conscius nihil ad excitandum alios magis esse aptum exemplo, ea ipse omnia non verbo tenus, sed præstabat quoque re ipsâ.

Cura concordiæ.

Qua verò prudentiâ regebat suos, eâdem alienos ad se confluentes dirigebat. Nam quum omnes præstantem eius virtutem in quibuslibet rebus cognoscerent, & simul eximiam humanitatem, ad eum accedere non recusabant viri quique gravissimi. Adeo ut nullus fere dies abiret, quin illi plures se sisteret. Et eiusdem in docendo, consolando, ac corrigendo facilitas eò erat gratior, quò sine arrogantia, sed exporrecta semper fronte, vultuque hilari vel minimos amplexabatur. Ac de Carùsii prudentia, deque egregiis quibus dignum Deo se finxit virtutibus satis.

Aspectus Carùsii visentibus jucũdus.

tis. Nunc ad eas accedamus, quæ quòd humana sint consuetudine maiores, maiori quoque apud homines in pretio sunt.

CAP. IX.

CARÙSii PRÆDICTIONES, ET quædam alia de ipso mirabilia.

SOlent esse quæ raro apud homines videntur clariora: quod plurimos prodigiorum splendor magis, quàm virtutum alliciat pulcritudo. Quamobrem ut in dies Carùsii nomen inclaresceret, voluit eum Deus occultarum rerum notitiâ & futurarum præsensione exornare. Nonnulla in historiæ huius decursu iam tetigimus, quæ ab illo fuere prænuntiata: alia nunc plurima subtexemus, quibus adparebit non fugaci eum ad vaticinandum lumine, sed claro prophetici spiritus instinctu divinitus donatùm esse. Anno Christi M. DCC. XLII. quum filias tres ex Magdalena Zureda Barbarà-

Læta vaticinatio.

nen-

nensis Marchio suscepisset, huius mater spectatissima femina P. Carùsium die quodam adorta enixe ab eo petiit, filium ut ipsis unum impetraret à Deo, qui Pinosiæ familiæ (quæ nulli in Catalonia antiquitate cedit, gloriâque maiorum) nomen conservaret transmitteretque ad posteros. Eam justa petentem vultu hilari auscultavit Carùsius: & illico subridens, *quid unum*, inquit, *postulas? tres Marchioni extituri sunt filii.* Idque eidem inculcavit persæpe. Haud irrita & vana denunciatio fuit; quin lætissimi oraculi fidem sua cuiusque implevit dies, & implet hodieque. Siquidem hæc dum scribo tres tantum viro illustri superstites sunt masculi, tametsi ex eadem uxore nati fuerint plures. * Ita sane quasi per jocum Augustinus

---

* *Postquam hæc scripseram, XVI. scilicet calend. Dec. an. M.DCC.LXIV. Philippus Nerius Marchionis filius natu maior, mortiferâ correptus febri, maximo Parentum*

nus prædicebat futura. Sic etiam, quum aliqui graviter ægrotabant, eosque de more ipsius precibus Marchio committebat, sæpenumero observabat decessisse ægros quotiescumque *sinito abeant*, respondisset Carùsius. Contra, discrimen evasisse, quum hæc verba quasi joco protulisset: *Cedò illis velle P. Carùsium ut benè & citò valeant.* Quod in decessu duorum Sacerdotum sibi familiarium accidisse testatus Marchio est. Ut multa alia sibi à Carùsio prænuntiata fuisse quæ comprobavit exitus. Inter quæ illud non leviter animum viri perculit pupugitque. Quum Dominica quadam Palmarum horâ à meridie secundâ, negotii gravis ergò, summa pressus mœstitia eundem Marchio adiret, vix pedem in cubiculo posuit, quum ob-

Crebræ prædictiones.

tum dolore, qui eum ob miram vitæ innocentiam & præclaras animi dotes vehementer amabant, extremum diem piissime obiit, quum jam ætatis suæ vicesimum complesset annum.

obviam factus Pater; *depone*, ait, *metum ac tristitiam mi Joseph: res quæ te angit ex sententia succedet.* Quibus verbis dimissus, haud minus stupens, quàm hilaris abivit. Quippe negotii quod animo versabat Deus solum & ipse erant certiores. Sed crevit admiratio, quum prædictionem comprobavit res ipsa.

Vaticinationes in una Saletàrũ familia à Carùsio editæ.

Anno similiter M.DCC.XLIII. vix domum ex ea peregrinatione reversus, quam capite 6. libri 2. recensuimus, haud obscura præsagientis futura animi exhibuit testimonia. Nam primò quum filium Narcissi Salètæ equitis catalauni valde de domo nostra meriti, septem menses vix natum & gravi morbo oppressum, haudquaquam eo decessurum dixisset: quàm vere Carùsius dixisset, statim ægri Parentes cum gaudio experti sunt. E contrario quum post tres menses idem puer Matthæus nomine in ægrotationem incidisset, quam mors consequuta est, nullam de vita eius spem fecit Augustinus. Quin Matri

opem

opem ipsius deposcenti apertè indixit, ut thecam reliquiarum D. Philippi, quam admoverat ægro, diligenter colligeret; secus ac fecerat in primo pueri morbo ceteroqui gravissimo. Ex quo Theresia (hoc nomen est Matri) conjecit plane filio illi suo moriendum certò esse. Id quod ab ipsa accepi. Uti hæc quæ sequuntur mirabilia non minus ac plena vaticinii. Theresiæ igitur, quum iam nonus ageretur mensis ex quo gestabat uterum, difficilis quidem partus instare cœpit. Doloribus ingravescentibus arcessitur obstetrix. Hæc Josepha nomine (quæ itidem rem mihi totam paullo antequam decederet narravit) quanquam eius artis peritissima laborantem utero adiuvare nequibat, quòd fetus præter morem in utero jacens, brachioque transverso, nullo egredi naturali modo valeret. Sic quum tres iam dies difficultate partûs periclitaretur Mater, peritus arcessitur chirurgus, ut quem mulier expellere non poterat, ipse fetum ex-

Theresiæ Saletæ quàm difficilis partus.

tra-

traheret. Sed prius illa de æterna salute sollicita Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis voluit communiri. Quocirca hora quamvis noctis decima ad Carisium accurritur, qui ei à confessionibus erat. Verum Pater ipsum requirenti in hunc ferme modum respondit: *Nihil caussæ esse, cur adeo festinanter confessio postuletur, vel ipse domo exeat hora non tempestiva: propterea pedem domo se non elaturum; sed precaturum interim: jubere tamen Theresiam bono animo esse, ac in Deo confidere, fore ut brevi ac prospere fetum edat.* Mirum sane! Prædictionem eventus sequitur: nam vix elapso unius horæ spatio, & quo simul tempore vocatus chirurgus domùs fores pulsavit, nulla mulier humana ope, nulloque dolore viventem puellam enixa est. Ad quæ obstetrix, quid acciderit ignara, cum reliquis qui aderant *miraculum* exclamat. Puerpera quoque usque eo feliciter processit, ut quemadmodum in aliis consueverat, ex eo similiter partu extemplò convaluerit.

Difficillimi partûs felicissimus exitus.

Sed

Sed puella tamen Maria Josepha nomine nondum bima in lethalem incidens febrim sublata est. Et quanquam in eius morbo P. Carùsii opem requirebant Parentes: at eis respondebat Pater: *Nunquam se infantibus impedimento esse quo minus cœlum advolent.* Instabat nihilosecius Mater: sed ille reponebat idem. Quod secum reputans Theresia, & quid sibi vellet requirens, statim filiæ obitu didicit quorsùm verba spectarent sancti viri. Decursis ab eo casu diebus octo ægrotare cœpit graviter eorundem Narcissi, & Theresiæ filius Philippus Nerius, qui à plurimis joco P. Carùsii filius nominabatur, quòd eum Pater, quum adhuc in utero gestaretur, & filium abs dubio futurum, & nasciturum citò ac feliciter dixerat. Morbo in dies invalescente, ita morti apropinquavit puer, ut pro mortuo haberetur ab omnibus. Aderat tùm Augustinus mœstissimos solaturus Parentes. Quorũ tandem lacrimis doloreque commotus, thecam arripiens ubi D. Philippi

Præsensio de obitu puellæ.

lippi adservabantur reliquiæ, provolvitur in genua, & quantâ maximâ fiduciâ, atque ardore potest in vota effunditur, ac B. Patrem pro vita morientis solatioque Parentum ferventissimâ precatione adit. Nec irritus profectò. Nam adsurgens extemplò, puerumque adloquens quasi sensus haberet ad patientiam hortatur, ex eoque periculo, uti ex aliis permultis, ereptum iri monet. Quàm verè; narret idem Philippus septies exinde in extremis versatus; nam vivit adhuc tam miræ sanitatis S. Philippi intercessione, & Carùsii precibus redditæ testis fidelissimus. Atque ista ad annum pertinent M. DCC. XLVI. Ad annum M. DCC. XLIX. hæc alia: Gravida erat Theresia ex filia, quæ in vivis agit Philippa Neria; eâque de caussa iter satis longum prærruptumque in oppidum S. Hilarii, Ausonensis Diœceseos, ubi Narcissus ut in antiquo rusticabatur lare, capessere nolebat. Verum re cum P. Carùsio communicatâ, ab eo ut in rhedam primo quoque tem-

Puer fere animā agēs Carùsii precibus sanatur.

Vaticinatio de fausta profectione.

tempore se committat, jubetur, certa futura de fausta profectione. Quæ sane quàm faustissima fuit. Contra, quum eandem partus urgeret, regredi Barcinonem volebat. Carùsium tamen priùs per litteras consuluit. A quo id responsi accepit: *Nolle se adhuc ut in urbem rediret; quandoquidem ubi Deus aderat ac præsens futura erat Divina Mater, minime dubitabat, quin cuncta ipsi succederent pro votis.* Legi ego has litteras Carùsii; remque ut iste prænunciaverat contigisse ex Theresia intellexi. Nobilissima quippe femina eventus hosce omnes, quantum humana præstare valet fides sane mirabiles, ut in Dei gloriam cederent, qui manifestare se voluit servo suo, grati animi memor testata est.

Gens Alosia sæpenumero divinã Augustini virtutem experitur.

Æque exitu comprobata sunt, quæ in una Alosiorum familia edidit Augustinus. Maria Gratia, Josephi Alosii Primarii Cataloniæ Senatoris, de quo infra dicemus, uxor tam crebrâ sanguinis fluxione laborabat, ut jacere in lecto cogeretur persæpe: ac me-

medicorum industriam vincente jam morbo, una salutis via erat, ut eam inviseret Carùsius. *Agesis*, *è strato exili*, aiebat Augustinus, *atque in Ædem te confer domui proximam Sacrum auditura.* Et mirum! tam salubre hominis imperium nobilis experiebatur femina, ut statim represso penitus sanguine exsequi illud lubens posset. Quodam verò die, quum eo morbi genere periculosius tentaretur, sola item Carùsii vox sanguinis cursum repressit longe solito copiosiorem: valuitque illicò Maria Gratia Ædem nostram venire, B. Philippo, cuius reddebat thecam reliquiarum, grates relatura. Quoties gestabat uterum ad Carùsium accurrebat Ignatia Mariæ Franciscæ filia, & Raymundi Ponsichii generosi juxta ac eruditi viri, huiusque primariæ urbis amplissimi Decurionis uxor. Tunc, ut D. Philippi clientelæ ac fidei se, & quam gerebat in utero prolem Carùsii interpositione tutò committeret, Patrem, ut eius nomine ad aram sanctissimi Patroni

Vox Carùsii sãguinis cursum coërcet.

sui

sui operaretur rogabat. Nec id genus voto, & obsequio præmature sibi cavisse eam unquam pœnituit. Nam Carùsii precibus & præsentissima S. Philippi ope, cuius gestabat reliquias, vivam semper elegantemque prolem enixa fuit. Quodam verò die quum pro more Ignatia item gravida convenisset Carùsium id responsi ab eodem accepit: *Bono animo sis: huic quem geris puero Philippi Nerii nomen imponito.* At illico, *Quid ais Pater?* subjunxit Ignatia, *forsan erit puella. Marem edes*, reposuit ille, *Philippus ei erit nomen.* Nec sua huic etiam oraculo defuit fides. Nam masculam hæc sobolem felicissime edidit: filiumque Philippi Nerii vocabulo insignitum in grati animi significationem Parentes voluère. Ad cuius prædictionis complementum, quum puer viginti iam dies sugere noluisset nutricis ubera, & modico quod in os eius instillabatur lacte sustentari non posset diu, Carùsium ut tanto mederetur malo mœstissima arcessivit.

Vaticinatio de edendo mari.

Mater. Cui ille : *Ne dubita ; cito appetet mammam puer*. Quod ita factum est. Jam verò collatum aliud Philippo beneficium eò admirabilius extitit, quod ipsi à vita functo Augustino fuit impertitum. Filium itaque

Puer manibus pedibusque debilitatus Carùsii sepulcrũ attingẽs, divinitus sanatur.

ex enato nescio quo morbo pedibus, manibusque debilitatum eò magis dolebant Parentes, quò nulla sanandi eum à peritis Medicis & Chirurgis dabatur spes. Quare desperatis humanæ artis præsidiis ad sepulcrum Venerabilis Patris tanquam ad sacram anchoram confugere, fiduciæ plena secum pia reputavit famula. Complexa igitur ulnis puerum, alterâ comite, in nostram se Ædem proripuit; ægroque in sepulcri medio collocato, pro eius salute rogavit Patrem enixissimè. Nec eam fefellit spes. Fusis namque precibus tam felix faustusque eventus respondit, ut puerum suis libere incedentem vestigiis, manusque ad usus moventem & explicantem suos, & ipsa, & Parentes summo perfusi gaudio statim viderint. Mariæ demùm

An-

Annæ Montero, Ignatiæ Amitæ, quum tristem mortis filii natu maximi, undarum impetu infeliciter demersi, nuncium adtulisset Carùsius; & multis Matrem verbis tanto leniendo dolori opportunis fuisset adloquutus, extremi solatii loco ita eandem præsagiente spiritu affatus est. *Proh! te miseram! quot enim verò ærumnæ, quot labores acerbiores isto manent te.* Quid acerbi sub integro eius verborum contextu latitaret, ne suspicari quidem illa potuit. Sed incredibilia loqui visum vera dixisse, sequutâ duarum filiarum calamitate satis nota, non multo post omnibus patuit: atque ita, ut non nisi divinitus illud homini constare potuisse faterentur omnes.

Tristissima prædictio.

De re oppidò gravissima, & Carùsium, & doctissimos aliquot ac religiosissimos viros Civitatis consuluit Sacerdos quidam (cuius nomen consultò prætereo) nobilitate æque ac virtute conspicuus. Sed ita fuère eorum omnium ab alterâ Carùsii discrepantes sententiæ, ut lon-

ge aliter ac iste judicarent reliqui. Hi factum suadebant. Augustinus contra, si fieret, casura omnia teterrime adfirmabat. Salubribus istius consiliis neutiquam obtemperatum fuit. Verum sequuta mox incommoda & detrimenta vaticinii totius implevère fidem, uti idem Sacerdos adseveravit me præsente. Quidam ex nostris, (qui nomen heic suum supprimendum iustis item de caussis duxit) tam acerbo ac pervicaci morbo languebat, ut post multa medicamenta incassum adhibita de valetudine perfecte recuperanda pene desperaret iamque tetricis urgeri, anxiisque cogitationibus inciperet. Hæc inter Carùsio mœrorem calamitatemque aperiens suam, id tulit ab eo responsi: *Macte animo mi Pater: convalesces abs dubio.* Quo sane, velut inopinata lætitia, haud parum erectus confirmatusque illius animus fuit. Quumque eadem verba sæpenumero inculcasset Carùsius, numquam tamen temere ab eo fuisse prolata ægri sanitas, & ad-

Salubre Augustini consilium.

Vaticinatio de recuperãda valetudine

siduis

siduis in posterum Congregationis muniis egregie impensus labor palam fecit.

Sed illud prodigione, an vaticinio illustrius fuerit non facile definierim. Ignatius Puigurigueriu istius urbis aurifex lævo in genu purulentum molestumque adeo ulcusculum contraxerat, ut quoties in eo læderetur, ex aperto maligna sanies efflueret hiatu: qui tamen occludi haudquaquam posset, ne puri denegato exitu crus etiam corrumperetur. Gravioris igitur ærumnæ metu huiusmodi molestiam plures iam menses toleraverat. Quum die quodam Ædem nostram invisens à Carùsio vocatur in subsellio audiendarum confessionum sedente. Tùm: *Flecte genua*, inquit Ignatio Pater, *tecum mihi grave negotium est.* Ad quæ ille: *Scin' Pater ægre me vel ad recipiendam Eucharistiam ulceris caussa posse in genua provolvi? Atqui flectas oportet*, subiecit Augustinus, *bono animo sis; vicem tuam cur doleas iam profecto nihil est.* Tunc Ignatius posi-

Eventū memorabile.

tis

tis humi genibus, tanti viri reverentia, ne hiscere quidem ausus fuit. Atque ad semihoræ spatium multa cum illo tractans versansque ad Congregationis utilitatem spectantia ita perstitit. Dimissus autem, illico venit domum, quin ulcus novo manaret apostemate minime quidem dubitans. Sed mirum dictu visuque! Dum nudare genu ulcusque Matri suæ remedia paranti patefacere timide adgreditur, obductum prorsus sanatumque illud esse, cicatricis tantum relicto vestigio, stupens deprehendit. Atque ita sanatum, ut nullam deinceps molestiam eidem creaverit. Quod mihi miraculo tribuens enarravit Ignatius, si opus foret Sacramenti religione interposita confirmaturus.

Pinosiæ gentis in Carùsiũ, & eius in gentẽ Pinosiã amor singularis.

Una fuit, ut sæpe diximus, in hac urbe Pinosia gens, quæ ut omni semper officiorum genere prosequi Carùsium studuit, ita eximium ipsius dubiis adversisque in rebus experta sæpius amorem est. Æquum proinde fuerit, ut mirabilium (quantum histori-

torico scriptori adseverare fas est) factorum eius claudant agmen duo alia, quæ pro optimæ spei adolescentibus Philippo Nerio, ac Josepho Stephano Marchionis filiis ab illo edita fuère. Puerulus adhuc lactens Philippus natu maior morborum quatuor vi, quorum vel unus robustum sustulisset hominem, oppressus fuit. Vincendæ huic malorum Iliadi impar fortasse Medicorum ars erat. Nec par quantumvis foret, putabatur huiusmodi. Quare desperata ab illis pueri valetudine id poterant Parentes expectare dumtaxat, ut animam efflaret. Confugiunt tamen ad divina remedia, & Carùsium arcessunt à quo persæpe audierant, Philippum Nerium curæ suæ futurum. Tum Mater, itidemque Avia paterna pueri rogare Augustinum etiam atque etiam ut Philippum sanaret, & ob datam fidem quasi ei diem dicere: at ille se excusare & vadimonium quodammodo deserere. Verumtamen precibus lacrimisque permotus feminarum nobilium preca-

Philippus Nerius Marchionis filius natu maior Carùsii precibus ex gravissimis morbis convalescit.

tu-

turum se spondet, bonâque eas in Deum, atque D. Philippum fiducia esse jubet. Ne multa: contra iudicia Medicorum, ac præter omnium spem melius omnino habere cœpit puer atque brevi convaluit admiratione summa Parentum gaudioque; per quorum ora vivus volitabat Carùsius. Tandem vicina partui Magdalena II. Idus Decemb. anni M.DCC.XLVII. Carùsium moneri iussit, ut pro ea usitatas horarum divinarum preces funderet, & quintum hunc partum felicem impetraret à Deo. Nuncio accepto; *gravi se in præsentia negotio distentum esse* respondit Augustinus, *nec posse, ut vellet, eidem morem gerere: velle se tamen masculum brevi fausteque nasciturum Josephum vocari vel Stephanum.* Responsum hoc haud potuit animum sedare Magdalenæ. Sed novis Carùsium fatigavit precibus. At iste: *Jubere se demum Josephi, vel Stephani nomine masculum donari.* Peperit illa citò, & quemadmodum Augustinus prædixerat Josephum Ste-

Prædictio.

pha-

phanum felicissime peperit. Utroque enim vocabulo donatus puer est, ut ex ipsa, & Marchione intellexi.

CAP. X.

DE *QUORUNDAM INSIGNIUM virorum in illum observantia.*

RES gestæ, quas hactenus memoravimus, non modo Augustino hominum obsequia & venerationem conciliarunt, quos sibi insigni quodam beneficio ille devinxerat, sed multorum etiam primariorum virorum. Quorum in animis tam altas concepta de præclaris eius virtutibus existimatio egit radices, ut vel ad eas prædicandas, vel amplissimis honoris significationibus prosequendas certatim omnes sese effunderent. Præsules maxime quotquot Ecclesiam hanc Barcinonensem eo in vivis agente rexerunt haud dici potest quanta ipsum observantia prosequerentur, & amore. At omnibus in Carùsio observando exornandoque anteivit

teivit Eminentissimus vir Didacus Astorga, & Cespedes, de quo nonnulla libri 2. capite 4. Post hunc merito collocem Ludovicum Bellùgam * Cardinalem. Hic enim non solum Augustinum dilexit, sed vere amavit, atque in intimos animi sui recessus admisit. Argumento est quod inter eos intercessit commercium litterarum. Ut inde adpareat nihil ad coniungendas repente, conglutinandasque amicitias maiorem vim habere, quàm perpetua duorum ad res honestas consensio. Nam & Ludovicus innutritus quoque cœlestium præceptorum disciplinis, iuve-

Ludovici Bellùga Cardinalis imago.

---

* *Præstantissimum hunc Patris nostri Philippi filium summis laudibus in cælum extollunt Clemens XI. in Bulla data Romæ XV. Februar. ann. M. DCC. XXII. Innocentius XIII. Benedictus item XIII. Clemens XII. & Benedictus XIV. qui doctorum virorum doctissimus ipse æstimator, & cultor, sepulcro, quod suo ære Eminentissimo viro excitavit, magnificam elegantemque quam composuerat inscriptionem exarari jussit.*

venis genere, forma, probitate, optimis studiis clarus, maximoque ingenio instructissimus tres & viginti annos natus divino se addixit cultui. Atque ita se addixit, ut Canonicus Cordubensis creatus sanctioris vitæ studio incensus, maxima reddituum suorum parte in Presbyteros S. Philippi Nerii eiusdem urbis erogata, se illis sodalem, ac contubernalem dederit. Geminam porro utrobique personam adeò sancte laudabiliterque sustinuit, ut ex eo quod agebat, abunde quantus esset futurus eluceret. Quis enim enarret insignia eius pietatis opera, quæ diversis in locis ante omnium oculos posita sunt, posteritatis memoriæ commendanda? Ut de reliquis taceam, conditam ab eo non in Cordubensi modo, sed in Murciensi etiam Civitate S. Philippi Nerii Congregationem non prætermittam: Nec pastorales epistolas & ampla volumina, omnigenæ eruditionis plenissima, quæ adversus immunitatum juriumque Ecclesiæ violatores conscripsit. Atqui

Canonicus Cordubẽsis, simulq; Nerianus Presbyter, geminã Personã laudabiliter sustinet.

ea

ea erat hominis gravitas, ea oris dignitas, ea vultûs modestia, ea morum sanctitas, ut omnium in se iam pridem conciliaret venerationem & amorem. Ex Carthaginensi Episcopo in sacrum Purpuratorum Patrum senatum adlectus unâ cum dignitate arctiorem induit rationem vivendi. Flagris itaque, ferreisque catenis corpus affligere, barbatus incedere, egenis subvenire, Fidem catholicam factis scriptisque tueri, de institutione Sacerdotum, deque iuventutis hispanæ educatione mirè sollicitum esse, hoc unum, ut Deo, non hominibus placeret sedulo & constanter curare, ad veram animi immortalitatem conniti; donec meritis, & annis plenus vita functus est, seu potius in cœlum receptus. Magno quoque fuit apud aliquos Provinciæ huius Antistites in pretio Augustinus; iisque eximie carus erat. Præcipuè verò Petro Coponsio, & Jacobo Cortadæ Tarraconensibus, Balthassari Bastèro Gerundensi, & Emanueli Muñosio Vicensi, nam de

viro

viro sanctissimo Raymundo Marimonio satis liquet ex illis, quæ à nobis cap. 1. & 2. libri 2. dicta sunt.

Stephanus Vilanova Turiassonensis Episcopus.

Stephanus item Vilanova ex Jaccensi Turiassonensis Episcopus (quem diu christianæ reipublicæ bono sospitem servet Deus) quum hanc Sedem Barcinonensem Canonicus, & Archidiaconus illustraret, totamque Diœcesim supremus regeret administer, tantum Carùsio tribuebat, quantum homo tribuere homini potest. Nec solum sancti viri promeritis, sed exemplo etiam permotus amplissimi in Sacerdotiis illis Decessoris sui fautorisque Bonaventuræ Milànsii, alterius Bonaventuræ, de quo supra diximus, Patrui. Hic namque magnifica non semel de præstanti Carùsii doctrina, & pietate edidit testimonia. Sed magis Augustino familiariter usus est Excellentissimus vir Johannes Thomas Boxadòrsius totius Dominicani Ordinis Generalis Magister. Quum enim adolescens degeret Barcinone vix ulla, ut audio, decurrebat dies, qua

Bonavẽtura Milànsius Canonicus, & Archidiaconus Barcinonẽsis.

Johannes Thomas Boxadòrsius Dominicani Ordinis Gener. Magister.

illum

illum non adiret. Atque eius fortasse monita, atque consilia egregium adduxerunt juvenem ut caducis rebus nuntium remittens, postmodum familiæ, quam iure gubernat optimo nomen daret. Nec verò iste, quem à puero erga Carùsium tenuit amor, locorum & temporum intervallo elanguisse visus est. Nam quum Italiâ primò hanc ordinis sui moderaturus Provinciam Barcinonem venisset, non modo illum liberaliter & comiter, sed peramanter etiam ac honorifice manum eius arripiens atque osculans excepit. Quem sequutus germanus Frater Bernardus Pereladensis Comes, & Hispaniæ Dynasta (hic ad Regem Lusitaniæ legatus Olisipone occubuit infausto anno M.DCC.XLV. calendis Novembris) tanti Carùsium faciebat, ut eius colloquiis suavique consuetudine delectaretur unice. Quo maxime tempore variam expertus fortunam (hanc enim quemadmodum in urbibus imperiisque, ita in viris nunc florere, nunc senescere, nunc inte-

Bernardus Boxadòrs--ius Pereladensis Comes.

interire contingit) in villa rusticabatur non procul à nostræ Congregationis prædio. In quod quotiescumque Pater rusticandi item caussa secessisset, adire illum haud gravabatur Comes multis interdum nobilibus amicisque viris stipatus. Quin & persæpe Barcinonem ingressus est sola visendi hominis caussa, vel ei de rebus suis consilia aperiendi, ut ea commendaret Deo.

Nec intime minus cum Carùsio res suas sensusque conferebat Josephus Alosius ob præstantem iuris scientiam, virtutes præclaras, & eximiam fidem in difficillimis illis bellorum temporibus spectatam Philippo V. summe carus, ab eodemque in Cataloniæ Senatum adlectus. Donec eum ad mortem non pie minus, quàm hilare subeundam sua præsentia, nec sine prodigii specie adduxit Augustinus. Sic est factum. Ad vitæ exitum IV. calend. Septembr. anno labentis sæculi vicesimo celerrime properans Josephus: *Nunc enim verò nunc*, exclamavit, *actum de me*

Josephus Alosius Senator Regius.

est P. Carùsi : deficiunt penitus vires animique : oro te obtestorque in apertum Christi servatoris latus me abscon-de. Ad hæc Pater, Jesu è Cruce pendentis imaginem arripiens, ac paululum vultu oculisque micantibus orans tacitus, *ades in eo iam* elatiori voce reposuit, *ades iam.* Moràque haud interposita in hæc verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, tranquillissime expiravit Alosius. Hunc porro felicem, qui Josepho inter Carùsii brachia obtigit decessum, qui oculis viderunt miratique sunt externi plurimi, cognati, illiusque etiam filii hodie testantur. Atque hi clarissimi Parentis, filii item clarissimi, ut in Alosio nomine illustrando, ita in Carùsio colendo Patrem imitati, Dei servum grata illius aliorumque erga se factorum commemoratione prædicare non destiterunt, novisque in posterum obsequiis demereri. Franciscus maxime (qui hæc, & quæ de Alosia familia supra retuli mecum humanissime communicavit) Villæmaio-

Franciscus Alosius Canonicus Barcinonensis.

ris

ris antea, ut vulgo audiebat, Præpositus, almæ nunc Ecclesiæ Barcinonensis Canonicus, cuius vitæ rationes sanctissime institutas, & omnimoda caritatis officia quum domi nostræ sibi devotissimæ, tùm in piis âliis Civitatis locis annos plurimos quotidie vidimus, atque demirati sumus.

Singularem verò Josephi Marchionis Barbarànensis, totiusque Pinosiæ gentis erga P. Carùsium venerationem & amorem non est cur verbis coner exponere: minus dicerem quam res erat. Vehementius tamen Marchio in illum ferebatur: adeo ut eius consuetudine usuque expleri ac saturari non posset. Sed ei Pater æquali obsequio respondebat. Nam ita ipsum amabat ut nemo magis. Nihilo minora (quod hac in re plurimum quidem valet) illustrium è religiosis familiis hominum de Carùsio fuère judicia. Sed ista statutus huic historiæ modus percensere non sinit. Nam tot erant quà vitæ, quà etiam doctrinæ laude viri præstan-

Josephus Pinòsius Barbarànensis Marchio

tes, qui eum amabant colebantque, ut si eos persequi numerando vellem essem infinitus. Satis ergo sit admonere nihil arduum bene multis civibus accidisse, cuius in communicationem consultationemque non veniret Carùsius. In cuius denique honorem dum interim obsequia omnium & vota perenne velim extare monimentum, faxit Deus, ut melius vitâ quàm stilo eiusdem posthàc egregias exprimere sciam virtutes, atque (quod unice optandum est) in sanctissimæ Trinitatis, intaminatæque Matris gloriam quantuluscumque hic meus cedat labor.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITUM OPERIS.

LIBRI PRIMI.

 eius-

LIBRI SECUNDI.

LIBRI TERTII.

CAP.

IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

A

ri-

ma

Ca-

C

mum

cal-

item

co-

G

H

Ig-

Ma-

M

pho

Salè-

SAlèta (D. Theresia) D. Narcissi uxor, Carùsii ope felicem in difficillimo partu exitum reperit. *f.* 203. Vaticinationes ab ipso factas eventu comprobatas videt. *fol.* 202. 206.

Saurinus, vel Sauri (P. Quiricus) creatur Præpositus. *f.* 67. Patientia & fortitudine fuit incredibili; Novi Templi, quo utimur, fundamenta jecit, parvo quatuor aureorum ac emendicato subsidio; repentinoque morbo sublatus est, octogenario maior. *f.* 68.

Saurinus (P. Nicolaus) P. Quirici consanguineus, cum aliis duobus, Carùsio annuente, in Congregationem cooptatur. *f.* 112.

Senmartinus, aut Senmarti (Dr. Johannes Paullus) Canonicus Vicen. orationem habet ad populum de laudibus S. P. Philippi. *f.* 89.

Smandia, seu Esmandia (Josephus) maxime in domum nostram liberalis, non sine prodigii specie à Carùsio solo manuum attactu acu-

tissi-

&

Vita-

Errores typographicos ita corriges.

Pag. 1. lin. 2. Pyrinæo.	*Pyrenæo.*
P. 15. l. 12. palestra.	*palæstra.*
P. 28. l. 8. pauperios.	*pauperior.*
Ibid. l. 9. vertigio.	*vestigio.*
P. 34. l. 6. cæpit.	*cepit.*
P. 35. l. 3. desolationem.	*commotionem.*
P. 38 l. 26. abs se.	*ab ea se.*
P. 43. l. 23. Antea.	*Ante.*
P. 66. l. 11. consiliaret.	*conciliaret.*
P. 67. l. 16. refferenda.	*referenda.*
P. 89. l. 24. incesere.	*incessere.*
P. 95. l. 18. copiam piscationis.	*piscationem.*
P. 97. l. 15. non animum despondit.	*non desperavit.*
P. 101. l. 10. decurso.	*decursis.*
Ibid. l. 17. cô.	*eo.*
P. 113. l. 8. theologicarrum	*theologicarum.*
Ibid. l. 15. admodum.	*valde.*
P. 114. l. 16. inferre.	*offerre.*
P. 116. l. 27. talia.	*id.*
P. 117. l. 23. ex quia.	*ex qua.*
P. 119. l. 15. Sancti.	*ad Sancti.*
P. 128. l. 10. quos scilicet.	*quos ei scilicet.*
P. 130. l. 1. morbillis.	*pustulis.*
P. 133. l. 19. eum.	*de eo.*
P. 152. l. 24. è sodalitate dedit operam.	*e sodalitate muniis dedit operã*

P.

P. 153. l. 6. acciperet.	*cerneret.*
P. 160. l. 10. cælandis.	*celandis.*
P. 166. l. 10. nec cubiculum.	*nec ad cubiculum.*
P. 167. l. 13. Venitantes.	*Ventitantes.*
P. 171. l. 8. fasus.	*fassus.*
P. 172. l. 26. variolæ.	*pustularum.*
P. 175. l. 2. manuales.	*quotidianas.*

Si in alios offenderis tute emendabis benevole.